



5074





I. 449.



















B

R

7



M. ANTONII  
BONCIARII  
PERUSINI, ACADEMICI  
Insensati  
EPISTOLÆ.

AD  
REVERENDISS. NEAPOLI-  
*nem Comitulum Perusia Episcopum.*

Editio Secunda.



*M. Andr. Molle  
vi Pegauy*


MARPURGI CATTORUM,  
*Typis Pauli Egenolphi, Typogr. Acad.*

1714





ANTONI  
BONONI  
BERTHOLD  
BRISTOL  
AD  
RE  
L. H. O. S. A. S.



BL  
P. 1. 2.

e  
m  
ro  
ni  
bo  
m  
ho  
vi  
il  
no  
ne  
fan  
tud  
per





AD REVERENDISS.  
**N**EAPOLIONEM  
COMITOLUM,  
EPISCOPUM  
PERVSIIVM.  
M. ANTONII BONCIARII  
PRÆFATIO.

**N**OTA sententia est, Comito-  
le, Antistes clarissime, quicun-  
que ingenuis artibus, & do-  
ctrina delectatur, flagrate stu-  
dio quodam incredibili, nec  
eo quidem reprehendendo, ut sapientes ho-  
mines arbitrantur, consequendæ apud poste-  
ros immortalitatis. Habent hoc magna inge-  
nia, exculta litteris, & doctrina liberali, ut la-  
borum ac vigiliarum suarum non ferè aliam  
mercedem aut præmium requirant, præter  
hoc unum, laudis, & gloriæ: cetera quacun-  
vis grandia, fructuosa, optabilia, tamen sine  
illa spe nominis extendendi & propagandi,  
non magnifaciant, & suis minora meritis opi-  
nentur. Sed ( ut mihi quidè videtur ) ad hanc  
famæ diuturnitatem, duæ sunt hominibus e-  
ruditis propositæ rationes, & quasi viæ, una  
per suas lucubrationes, altera per alienas: suas

A 2

voco,



voco, quas cujusq; ingenium ex se peperit, & excoluit, ut Poëmata, Historias, Orationes: alienas verò, quæ ab aliis antè partæ, posterorum industria corriguntur, explicantur, & ex alia in aliam linguam transferuntur, ut Homerus ab Eustathio, Aristoteles ab Averroë, Demosthenes & Aeschynes à M. Tullio. Neq; verò esse potest dubium, utra ex his duabus, famam ampliorem, certiolem, diuturniorem polliceatur. nam quanto est laboriosius, genitum ex se filium, in utero gestare, & eniti, quam tantummodo educare atq; alere; tanto est parèti, quam altrici honestius & gloriosius, si filius apud bonos in honore ac pretio habeatur. Nec puto, quemquam ita excordem fore, ac fatuum, ut, si eligendi optio detur, non se malit esse Virgilium, quàm Servium; Terentium, quàm Donatum; Horatium, quàm Acronem aut Porphyriionem.

Enimvero tamen, si quis hac nostra tempestate, certam ac diuturnam gloriam, tractandis litterarum studiis, consequi velit; audacter dixerim, melius fore locatam operam in scriptis veterum aut emendandis, aut illustrandis, aut convertendis, quàm in novis, quasi fœtibus ingenii concipiendis, & pariendis, propterea quòd deficiente in dies, ac senescente rerum omnium matre Natura, nec



PRÆFATIO.

ra, nec ut olim, præstantes atq; excelsas indoles pariente, sed, ut corpora, sic ingenia dante semper infirmiora & hebetiora: difficillimū est, ad novi scriptoris laudem aspirare, & Poëtæ, aut Historici, aut Oratoris implere vestigia, sed horum omnium emaculatorem, enarratorem, conversorem fieri, haud omninò arduum atq; difficile judicaverim. videlicet Servios, Donatos, Asconios, etsi non ita multos, tamen aliquos invenire de nostris posses; Virgilios autem & Cicerones non invenies quidem certè; nec Livios quidem, nec Tacitos, nec Curtios, nec omnino quemquā de illo felici choro, quos ingenii quædam divinitas consecravit immortalitati. Quamobrem non temerè affirmaverim, propè clausam esse nostro sæculo priorem illam viam famæ assequendæ: nostro autem? immò verò & decimo, & undecimo ante nostrum. quis enim post Ciceronem Orationes aut Dialogos, post Plinium familiares Epistolas, post Curtium elegantes historias, post Claudianum Poëmata graviora conscripsit, quæ digna hominum eruditorum repetita lectione censeantur? Et alioqui contrarium accidere par fuisset: nam quanto plures, melioresq; scriptores illarum artium præcesserant, & eandem quasi semitam ambulaverant; tantò aditus expeditior, & via proclivior esse



posteris debuit, per illorum vestigia gradientibus: quomodo scilicet in philosophia, reliquisq; gravioribus disciplinis contingere videmus: quæ hoc rectius exactiusq; identidè excoluntur, & sciuntur, quò longius ad posteros propagantur, nec solum robur & firmitudinem, sed etiam facilitatem, claritatè, atq; splendorem à tēpore mutuuntur. Quàm multa in nostratibus majorum artium professoribus leguntur, vel inventa subtilius, vel digesta prudentius, vel explicata uberius, quàm fuerat factum à doctissimis atque clarissimis antiquorum? quàm multa hodie in dialecticis, in physicis, in mathematicis, in astronomicis plana & perspicua sunt, quæ Ptolomæus, quæ Plato, quæ Aristoteles, quæ Dēmo- critus ignoravit? Non pauca quippe natura posteris referenda reliquit: nec tota sese adhuc prioribus sæculis aperuit. Græcia non nisi post multa sæcula, stellis numeros, & nomina fecit, utrum emergeret Jupiter (ait Seneca) an occideret, an retrogradus esset, ante paucos annos didicimus; quæ sint quinque stellarum stationes, quando in rectum ferantur; quare agantur retrò, qui matutini, quiq; sint earum vespertini ortus, modò cœpimus scire: id scilicet ipsa agente natura, ut aliquid veritati, posteris quoq; nostri conferrant. Adeò enim non omnia simul animus

pro-



prospicit, adeò non omnia simul invenit, ut adhuc ipse se quærat. Etiam Regina scientiarum & artium Theologia, progressu temporis, incrementa & ornamenta suscepit. Primis enim Ecclesiæ temporibus, in illis quasi cunabulis Religionis, multa eaque gravia magnum illum Origenem latuerunt, aliquam multa nescivit Arnobius, in quibusdã lapsus est Tertullianus, ne Lactantius quidem tenuit quædam minimè contemnenda, de magnis rebus, quæ posteriores Theologi doctè, subtiliter, & perspicuè tradiderunt. Adeò verum est, quod Seneca scribit: quædam esse, quæ initium ab aliis trahunt, & tamen initiis suis majora sunt. Principia enim sua semper sequens magnitudo obruit. Contra in illis artibus, quæ spectant ad eloquẽtiam, quanto longiùs a primis illis, dicendi & scribendi magistris, recessum est; tantò & exiliùs & deteriùs videtur esse, quod a nobis referentũ sit. Nimirum ceteræ artes & scientiæ, quasi flumina fuerunt, quæ ab exiguis profecta initiis, per longa temporum locorumque intervalla, novis subinde aquis interfluentibus, semper ditantur, semper augentur: nostræ autem, quæ putantur amœniores, suaviorefque, sunt quasi rivuli, ab amplissimis illi quidem & uberrimis fontibus detorti, sed per longam planiciem, adeò siccam arentemq;



transfusi, ut solo exugente, macri, tenues, & propè mortui ad nostram memoriam pervenisse videantur. Itaq; Philosophi, Astronomi, Theologi quotidie non solum plures, sed etiam meliores reperti sunt: at Poëtæ, Oratores, Historici neq; tam multi, neq; tam boni provenere antehac, & quotidie pauciores, pejoresq; proveniunt. Causam si quis requirat, haud fermè aliam assignari posse crediderim, quàm illam, de qua dicere sum ingressus, hebetudinem humani ingenii, fatiscente Natura, in hoc ultimo quasi senio Universi. Cum enim ad ceteras artes excolendas, vel mediocria ingenia, studio atq; labore incitata, satis fuisse, ac semper fore videri possint: Poëtica, Oratoria, Historica nemo pro dignitate tractaverit, quantumvis diligens & industrius, cui summum Natura genium & ingenium largita non fuerit.

Hæc igitur cum ita se habeant, redeo ad illud, quod paulò ante proposui, hoc quidem tempore certiozem esse viam gradiendi ad immortalitatem per alienas, quàm per nostras lucubrationes; & illos facere sapientius, in nostro artium atque doctrinæ genere, qui circa veterum monumenta expolienda, tergenda, illustranda elaborant, quàm qui suo-pte ingenio, nova subinde opera moliuntur, & fabricantur. Quippe amentis est, in his  
operam



operam atque laborem perdere, quæ te scias non posse consequi, & tractare pro dignitate: quemadmodum è contrario prudentis est, si ad primas partes aspirare non possis, in secundis, tertiisvè consistere. si mediocritas ingenii magnum scriptorem non implet, implebit fortasse magnum Interpretem; & optabilius est, certè celebrius & gloriosius, audire bonum Grammaticum, quàm malum Poëtam.

His accedunt probationes duæ, in quibus plurimum momenti esse, nō solum ratio persuadet, sed etiam multorum exempla confirmant, & rem dubiam esse non sinunt. Atq; his ego potissimum soleo uti non inutiliter adversus eos, qui meam non probant, de quærenda per hanc viam immortalitate, sententiam. Primum ex his, inquam, lucubrationibus, quæ prodeunt in vulgus, illæ cupidius leguntur, & diutius conservantur, ex quibus utilitas ac fructus capitur, quàm quæ tantummodo aures oblectant, & fallendi temporis gratia lectitantur. at quæ vigiliæ in scriptis veterum expurgandis, aut explicandis versantur, cum aditum nobis aperiant, & viam muniant ad uberes illos doctrinarum fontes, unde omnis hauritur humanitas; meritò à posteris diliguntur, & caræ habentur: ideoq; facillimè vitam vivunt honestiorem

A S

&amp; lon-



& longiorem. Contra Orationes, aut Poëmata, quæ quotidie proferuntur in lucem, licet ad gratiam antiquorum proximè accederent; tamen quia tantummodo afferunt legentibus voluptatem, & aut nihil, aut prope modum nihil ad vitam conferunt; nec multum, nec diu æstimantur à doctis: sed ut vina mustea plerisq; in initio sapiunt, iterum verò iterumq; gustata, fastidiuntur, & ætatem non ferunt. Oportet ergo utilem ac fructuosum esse eum librum, qui velit diu placere: nam si tantum jucundus est, non potest sibi de vitæ vel honestate, vel longitudine polliceri ad multos annos.

Dicam amplius, & explicabo secundam rationem. Ad famam celebritatemque nominis colligendam, non satis interdum est, scribere utilia: multi scripserunt, & hodiè scribunt utilissima; neque leguntur tamen. Quia enim nõ est aliud fama, quàm frequens & magna laus, ex hominum alta opinione originem trahens: lentè consulere opus est, & maturè apud animum statuere, non solum quàm utile sit id, de quo scribere cogitas, sed etiam qua ratione possis eam materiã lectoribus insinuare. Peritus ac prudens Medicus non modò concinnat pharmacum, & potionem fugando morbo accomodatam; sed providet etiam, quo pacto ægrotus hauriat, dif-

fun-



fundatq; in venas : ideoque ut Lucretius ait,

— prius horas, pocula circum

*Contingunt mellis dulci flavoq; liquore.*

Hac propemodū ratione propinemus oportet nostri seculi hominibus lucubrationes nostras, quantumvis utiles ac frugiferas, vel quia illę nimium amarę sunt, vel quia isti plus nimio fastidiosi. Quoniam verò ex omnibus omnium rerū scriptoribus, utilissimi, politicissimi, venustissimi cęsentur antiqui; & ideo per Senatum literarum adepti jam sunt nominis & famę perpetuitatem : si qui hodie ad eandem, aut illi similem gloriam aspirare contendunt, sapientius facere mihi videntur, si suos labores quoquo modo ad illorum labores applicant, & apud eos in parte aliqua, ut correctoris, ut scholiastę, ut interpretis hęrere student. Sic enim fiet, ut, communicatis laboribus, laudem quoque communem habeant, & eandem fortunę aleam sortiantur. Nempe Auctorem & Interpretem putemus licet ex eo esse vocum genere, quę Aristoteles τὰ πρὸς τὴν appellat in Dialecticis: quorum non est alterum sine altero, & utrum pereat, perit utrumque. Neq; non intelligo tamen, aliam nominum, aliam hominum esse naturam, nec ferè Auctorem ab Interprete, sed Interpretem ab Auctore vitam & famam solere mutuari: sed hoc affirmo, si quis bonum

Aucto-



Auctorem non malus interpret, aut comitem, aut ducē sequatur; fore illi perfacile ad magnam nominis claritudinem pervenire, quo scilicet per se ipse, sine hoc adminiculo, perventurus non fuit. Hoc modo cum Cardinalibus, aliisq; magnis Principibus, secretarii comitesq; nobiliores in Senatum, in Conclavia, in Comitua de rebus maximis & gravissimis admittuntur, quibus alioqui facultas adeundi, aut manendi non fuisset.

Jam si exemplis ostendenda res est; non erit eundū longius. mitto nimis veteres Græcorum, ut Eustathium, qui, Homero, licet cæco usus duce, principem tamen inter Grammaticos locum reperit; ut Galenum, qui per Hippocratem ad excelsum laudis fastigium evolavit; ut Philoponum, ut Simplicium, ut Alexandrum, quos Aristoteles quasi satellites secum duxit contra Magistrum. mitto etiam nimis veteres Latinorum, ut Servium, cui Maro; ut Donatum, cui Terentius; ut Acronem, cui Flaccus; ut Asconium, cui Cicero; ut alios, quibus alii præsidio & adjumento fuere, ad memoriam nominis quàm latissimè propagandam. De illis loquor libentius, qui vel nostra, vel non multo ante nostram memoriam claruerunt, cum sibi vel ad scribendum de suo, sive ad exponendum de alieno se contulissent. Fuere in primo genere

nerere



vere homines maximè illustres, Longolius, Bembus, Sadoletus, & Poëtarum ingens turba, quorum scripta licet elegantissima, jam à paucis leguntur, & in dies minore gloria putantur fore apud doctam posteritatem. Causæ sunt illæ duæ, quas paulò ante per contrarium retulimus: nam quia minimum afferunt emolumentum studiosis artium liberalium; & quia neque maximum ex se habent pondus, neq; ex alio vetere ac robusto vires mutuuntur: ideo necesse fuit aliquo post intervallo, id est consumpta illa, ut sic dicam gratia, & lenocinio novitatis, languescere paulatim, donec penitus veniant in oblivionem. Contra M. Antonius Maioragius, & Dionysius Lambinus, cum neq; ingenio, neq; doctrina præstarent iis, quos antea nominavi: tamen quia se totos huic studio dediderunt emendandi, exponendi, convertendi Auctores veteres, sive græcos, sive latinos; & hic quidè optimos poetarum, ille optimos rhetorum, & oratorum, vigiliis æquè doctis, æquè utilibus illustrarunt; vivunt, viventque in oculis, in auribus, in ore hominum elegantium, & bene locata opera, ad perpetuas sæculorum ætates propagabitur. Quid ego autem Majoragios, atque Lambinos nomino? viros antesignanos, latinis græcisque litteris excultissimos? qui si vivunt, merito suo videntur vivere,

vere,



vere, non eorum, quibus ipsi quodammodo vitā ac spiritum reddiderunt. Scio equidem esse dubium de nonnullis, uter utri majorem debeat gratiam an Auctor, an Interpres: sed idem scio etiam, & comperi, mediocres multos, non magnis ingenii, nō magnis doctrinæ copiis instructos, ideò vivere, quia cum suis alumnis vivunt, morituri omninò, si ex se vivere conati essent. Petrus Victorius, illustre hujus rei exemplū est, qui editis ex una parte in Ciceronem, & Aristotelem cōmentariis, ex altera luculentis Orationibus & Epistolis; per has ne tenuem quidem notitiam sui peperit, per illos verò æternam laudem comparavit. Hæ vix aspexerant lucem, & per ora hominum vagari cœperant, cum sua sponte ad tenebras redierunt, & uno penè momento natæ, mortuæ: illi verò teruntur hominum manibus eruditorum, & à nobilibus tota Europa typographis excuduntur, & distrahuntur. Quid illi paulò antiquiores? Calderini, Landini, Omniboni, Catanæi, Marsii, Beroaldi? quorum alia propè omnia negliguntur à doctis pariter, & non doctis, Commentarii autem & Notæ ad Martialem, ad Virgilium, ad Ciceronem, ad Plinium, ad Suetonium, aliosq; veteres, in pretio sunt, & leguntur etiā à doctissimis. Sed non oportet me ab externis pluribus testimonia repetere, cū habeam  
dome-



domestica, & patria longè clarissima. Ricciardus Bartolinus, & Franciscus Maturantius, cives nostri, magnus Poeta, magnus Interpres, modicis intervallis floruerunt: ille Maximiliani Imperatoris res gestas heroico carmine persecutus est: poëma inscripsit, Austriada, illustre, nobile, cum Sannazariis, & Pontanis, & Fracastoriis conferendum. Ego legi editum in Germania, honestatum iudicium hominum eruditorum, & (quod credibile vix videtur) perpetuo commentario illustratum, ac sublevatum: tamen jacet, frigetq; in tenebris. Hic verò in Philippicas, in Officia, in Rhetorica Ciceronis, ante vulgaverat benè longas, & benè doctas enarrationes; quæ hodie, ut cum maximè vigent, florentq; inter primas. Nec est dubiũ, fuisse illum Poëtam hoc Interprete meliorem doctioremq;, in illis etiam, quæ ad rationem dicendi attinent. Adeò interdum plurius interest, quo vel adminiculo, vel adjutore, quàm quibus ingenii viribus, aut doctriinæ opibus, ad gloriam contendas.

Non cunctabor in hujus quæstionis explicatione diutiùs, si unum addidero exemplum longè illustrissimum. Iodocus Badius Ascensius, homo litteris tinctus, eisq; perquã humilibus ac puerilibus, certè non elegantibus ac liberalibus, quanto est infra omnes,  
sive



sive Grammaticos, sive Rhetores, sive Poetas, qui suo seculo floruerunt, eruditione, ingenio, facundia; tanto omnibus celebritate, ac fama nominis antecellit. Ille, ut scimus, in Oratores, in Historicos, in Poetas longè clarissimos commentus est illam suam, ut vocat, familiarem explanationem, adeò putidè, ineptè, imperitè, adeò interdum præter rem, imò & contra rem; ut vel mediocriter eruditi æquis oculis aspicere non possint. At enim quia tales, tantosque secutus est duces, non aberravit à recto itinere, quo ad Phœbum & Musas vaditur: quia verò non vulgares aut gregarios ex numero antiquorum (et si nemo ignobilis inter antiquos) tamen quia ipsos Collegii Principes delegit, Maronem, Flaccum, Crispum, Tullium, in quibus explicandis operam suam, si minus doctè, saltem candidè atq; simpliciter collocaret: non frustratus est expectatione sua; sed illustre ac nobile laboris industriæq; suæ præmium tulit æternam famam: sapienter, si consilio; feliciter, si casu. Accidit autè huic homini, quod haud scio, an alteri de nostratibus: non modò ut aliorum Interpres, sed etiam ut primarius Auctor, consecutus est dignitatem. Viri non illi quidem admodum eruditi, sed ceterè Ascensio meliores, illam ipsam puerilem, & vix latinam interpretationem, quæ ad  
Tulli.



Tullium, quæ ad Maronem, quæ ad Flaccum applicita est, in vulgarem linguam converterunt, suppresso tamen nomine Auctoris, & sunt hodie aliquo numero inter pedarios literatores. Spectare hinc licet fortunam Ascensianam supra homines sui ordinis ascendentem, atq; vincentem omnes: quia licet homo fuerit minimè laudabilis, tamen & trahitur ab aliis, & ipse alios trahit ad laudem. Hoc modo (juvat enim magnificè loqui de magno viro) sphærarum cœlestium suprema, dum celerrimè ab ortu Solis in occasum rapitur, contiguum sibi Saturnum, licet desiderem pigrumq;, secum rotat in gyrum, & ille alios eodem impetu rapit, subjectos orbis. Eant modò, qui, hac relicta interpretantium via, ut ignobili, ut obscura, per aliam ingressu facilem, progressu arduam, egressu vanam, cum ingenti fastu iter suscipiunt; & suis in nixi laudationibus, encomiis, panegyricis, frustra in altum rapere, frustra evadere moliantur. Hi sunt, qui Donati scrupulositates non ferunt, qui Servium arguunt incogitantia, qui Acroni diem dicunt violatæ latinitatis, qui deniq; nunc stolidum, nunc amentem, nunc barbarum, semper ridiculum, semper ineptum vocant Ascensium. Ille verò securus famæ, certusq; posteritatis, gloriosus & vivax, ex alto despicit reprehensores suos.

B

ridet-



ridetq; improsperam nostri sæculi fecunditatem lucubrationum, quotidie nascentium, quotidie morientium: & se laudat, quod in quærenda nominis æternitate, bonam, certam, expeditam initiò ingressus est viam. Heroes enim ab illo culti, prensus manibus explicatorem suum, atque levatum humo, primum in arduos famæ colles extulerunt, deinde secum non modo in societatem, sed etiam in contubernium receperunt. Illos verò auctores neotericos Poëmatum, Orationum, Historiarum, quasi æmulos, & secum contendere audentes, non ferunt, & novos Marfyas, novi Apollines, temeritatis, audaciæque damnatos, fœdè lacerant, & excoriant.

Neq; tamen inficias ierim, pauca quædam nostro sæculo, plura tamen quam multis antè progressis, contigisse decora ingenia, in quibus bonæ artes, quas supra memoravimus, reflorescere visæ sunt. Aurelius Ursinus (ut faciam de his mihi cognitis mentionem) egregia poemata, Maffeus historias, Perpiniæ orationes, Manutius epistolas, Sigonius antiquitatem, alii alia ita scripserunt, ut proximè ad Marones, ad Livios, ad Tullios, ad Varrones accedere videantur. Dicam vero aliquid mirabilius: Duo, duobus addicti studiis, utrumq; cum æqua laude coluerunt,  
Sigo-



Sigonius & Manutius, ille historias, hic epistolas; ille Livium, hic Ciceronem, & uterq; rem antiquariã mirabiliter illustravit. Taceo Scaligeros, & Lipsios paucosq; viventium, sempervicturos. De illis enim institui dicere, qui non ita pridem excellerunt è vita. De quibus unus (nisi me studium, atq; amor fallit) impleffe omnia, vel propè omnia visus est, M. Antonius Muretus. Qui latinis græcisq; literis excultissimus cum soluta, & vineta numeris oratione præstaret, tam insigniter quã æqualiter: in una Orationes & Epistolas edidit, utrasq; post Ciceronem elegantissimas & doctorum judicio probatissimas; in altera omne genus Poëseos ita expressit, ut cum excelluerit in singulis, dubium tamen incertũq; reliquerit, graviornè in heroicis, an festivior in Lyricis, an acutior in Satyricis videtur. Nec vero interpretis, aut correctoris laude caruit Muretus: nam præter Notas & Scholia in omnes Veteres celebriores, sive græcos, sive latinos; justo commentario interpretatus est Ciceronem adversus L. Catilinam, & Catulli tam obscura, quam lepida poëmatia; utrumq; tam subtiliter exponendo, quam antea feliciter illum orando, hunc ludendo fuerat æmulatus. Cujus variam reconditamque doctrinam, cum ubere, suavi, & exquisita oratione conjunctam, illi plenius certiusq; co-



gnosceret, non qui tantummodo ea, quæ verticè ex Aristotele, quæ scripsit ad Jus Civile, quæ dedit ad magnos Cœlites; sed ea saltem oculis percurreret, quæ viginti Variarum lectionum libris, ab illo editis, continentur.

Sed me vel rei amplitudo, de qua scribere institui, vel eximii Præceptoris injecta mentio, à re proposita longius abduxerunt. Redibo igitur in viam, & quæ ad rem magis attinēt, brevius absolvam. Cum hæc ita sint, quæ differui, vel saltē ita mihi esse videantur: non est mirum, Pater Sapientissime, quod vel amicis flagitantibus, vel tibi hortanti, jubenti, ac tantum non cogenti, ut Orationes, ut Carmina, ut Epistolas ederem meas; tam diu, tam valdè, tam propè pertinaciter repugnaui. Detrebant enim me tantò amplius expositæ rationes, quod ad ingenii doctrinæq; perexiguas vires, accedebat invaletudo, calamitas, occupatio; mihi adversissima, tibi notissima: quorum tamē rationem habituri non erant, nec propterea me ullam in partē excusaturi, qui mea legerent inchoata, festinata, non culta, non erudita. Sed ego, hanc aleam cum mihi necessariò subeundam esse intelligerē: ad, non dico penitè vitanda, sed aliquo pacto lenienda incommoda, quæ scriptionem urgerent meam; duo reperi sive remedia, sive suffugia, quæ profiteor non invitus. Alterum  
duco



duco ab argumentis earum rerum, de quibus egi; alterum à personis, cum quibus egi. Quod igitur ad primum attinet, quia plerique studiorum amœnitates quærimus, ut verè ait Plinius, delegi potissimum eas epistolas, & ea carmina, in quibus joca, sales, atque facetiæ legerentur. Utinam verò in his ipsis temperare mihi potuerim, nec sæpè inter seria, graviaque negotia ridiculus, & nugax fuerim. Ad hæc quia progressu temporis ea negligimus & fastidimus, quæ non aliquam voluptati adjunctam præferunt utilitatem; interposui de latino sermone quæstiones, ut ego arbitror, non inutiles, non ignobiles.

Hæc de argumento. Sequuntur personæ, quas legi trium generum, maximè amicos, maximè doctos, maximè Principes. Putavi enim me, in multis magnisque lapsibus ingenii, doctrinæ, urbanitatis, ita facile sublevatum iri, si me amici oratione purgarent, docti argumentis defenderent, Principes auctoritate protegerent. Quæ mea ratio non longè abest à consilio eorum, qui libros veteres interpretantur. Ut enim illi, per suos Auctores, ad magnam nominis claritudinem pervenerunt, sic ego me per supremos Patronos, exiguus & parvus cliens, haud omninò humilem atque obscurum fore sum opinatus: etsi ego quidè satis habeo, si mihi prodest ad excusationem,

B 3

quod



quod illis profuit ad gloriam. Facit autem hæc selectio excellentium atq; illustrium, tui similibus personarum, Præsul optime ac præstantissime, ut non necesse habeam excusare, quod tibi offero & commendo, munus Epistolarum. Primum enim meæ amplius non sunt, sed eorū ad quos aliæ aliis temporibus, & scribendi occasionibus fuerunt datæ. Nec esse æquū censeo, vel me hodie, in quæ scripta jus nullum habeā, eorum merita extenuando facere leviora; vel te, non magnum ac pretiosum putare hoc donum, quod non à me, sed à maximis & clarissimis viris venire videatur. Denique si qua, muneris hujusce pars ad me spectat, quia composui, quia disposui: ne hæc ratione tuum potius probatur esse, quam meum; & restitui à me hodie, non donari. Quis enim hanc mihi tribuit tam opportunam, tam fructuosam, tam honestam & studendi & vivendi conditionem? præ qua non temerè delatas ultrò à Gymnasiarchis tam nostratibus, quàm alienis, luculètas provincias recusaverim? Quis mihi cœlestes illas Divas, ut possem scribere; quis terrenos hos principes, ut possem mittere, quæ scribebam: quis, inquam, nisi carus utrisq;, Magnus Comitulus conciliavit? cujus celebre augustū-que Collegium, cui me voluit esse præpositum, simul attulit, & claras artes recolendi

com-



commoditatē, & claros Principes appellandi necessitatem. Deniq; (ut comprehendam uno verbo omnia) quis me ita semper tractavit, hodieque, ut cum maximè, ita tractat, ut propemodum, me cæcum esse non sentiam? Superat enim consolatio tua, Pater non solum eruditissime, sed etiam amabilissime, dolorem meum, & se, à tanta benignitatē, tanta calamitas victam confitetur. Meritò igitur si quid unquam parit ingenium meum, aut alit industria; tibi paritur, tibi alitur: de meo nihil do, nihil offero, præter affectum, imò jam ne hunc quidem, quia dedi obtuliq; jam diu, & tu datum oblatumque non recusasti. Quamobrem, ut concludam de munere, non debeo tibi pluribus aut commendare quod tuum est, aut excusare quod meum non est. Vale. Ex Colle-

gio tuo. Idibus Maijs.

CLC LCCCL.

B

4

M. ANT.







M. ANT. BONCIARII  
PERUSINI EPISTOLÆ.

FULVIO CORNEO, S. R. E. CAR-  
DINALI AMPLISSIMO SEMI-  
narium Perusinum S. P. D.  
Romam.

**C**um & contra spem nostram, &  
præter consuetudinem tuam ac-  
cidisset, Cardinalis amplissime,  
ut tibi, propter maximas occupa-  
tiones tuas, non licuerit in Colle-  
gium nostrum venire, priusquam Romam re-  
vertereris; faciendum nobis putavimus, primū  
ut tibi sive Principi, sive Patri, de presenti no-  
strarum rerum statu gratulareremur; deinde ut,  
quæ tecum agere coram debuimus, ea cum ab-  
sente per litteras ageremus. Id quod eo non so-  
lum liberius, sed etiam uberius fecimus, quod  
magnitudo animi tui, summo studio erga nos, be-  
nevolentiaq; cōiuncta, jam pridem nobis ita per-  
suaserat, quæ vel ad nostram utilitatem, vel ad  
Collegii dignitatem atq; amplitudinem pertine-  
rent; eate non solum libenter auditurum, sed  
etiam piè, strenuè, liberaliter esse facturum. Por-  
rò ve-



rō veniebat nobis in mentem, adeo multa & ma-  
 gna extare tua in nos promerita, quasi majorem  
 ipse ex tua in nos beneficentia, quam ipsimet ex  
 beneficio tuo, voluptatem & fructum capere vi-  
 derere. Quid enim (Deus immortalis) ad tuam  
 erga nos tam eximiam charitatem & pietatem  
 adjungi potuit? Tu vigesimum ante annum hoc  
 nobis in patria Collegium instituisti, in quo pueri  
 alerentur, liberalibus disciplinis imbuerentur,  
 & ad omne pietatis, humanitatis, atq; officii ge-  
 nus informarentur; illud ipsum præripiens pieta-  
 te, & consilio tuo, quod post a Concilio Tridenti-  
 no divinitus constitutum, atq; sancitum est. Te  
 magnis impensis, diuturnoq; labore hanc nobis  
 & elegantem, & plenam dignitatis domum edi-  
 ficasti, quam bellissimè incoleremus, & ingenii  
 artibus, sine dispendio, sine incōmodo ingenium  
 excoleremus. Tu viros doctrina & probitate in-  
 signes, honorificis premiis accersitos, nobis erudi-  
 endis præfecisti; quibus postea cum sua summa  
 laude publicum etiam docendi munus est assi-  
 gnatum. Tu deniq; consitum à te ornatumq; Se-  
 minarium auctoritate, ope, consilio, rebus omni-  
 bus tueri, alere atq; augere nunquam desistis:  
 in eoq; tuis facultatibus, quæ sunt pro amplitudi-  
 ne tua perexiguæ, non modò Præsides hujus Ec-  
 clesie superiores planè omnes, verum etiam nobi-  
 lissimarum Italia urbium Antistites, omnibus  
 rerum codiis affluentibus, facile superasti. Quam-



obrem gaude, Princeps optime ac munificentissime, tuo isto tam excellenti bono; & ex animo vereq; gaude, quod, quos olim tua manu surculos in Seminario severas, & subinde alios alio transferendos curaveras, ea nunc justae arbores facta, ac patulis diffuse ramis, cum multos mortales suis umbris protegant, qui sub earum quasi tutela quietè, suaviter, honestè vivunt: tum vero ipsae efflorescunt in dies magis, & fructus gignunt quotidie meliores, suaviores, uberiores. Gaude immortaliter, quod etsi non defuerunt, qui à principio Seminarium tuum labefactare, atque adeò funditus evertere nitebantur; nunc idem ita ab omnibus diligitur carumq; habetur; ut juxta inopes & opulenti, nobiles, & obscuro, & pueri plane omnes, nec nostrates duntaxat, sed exteri quoque permulti, certatim vel in convictum nostrum recipi, vel in Collegium cooptari flagranter cupiant. Id nimirum a nobis privati cives, & omnis generis nobiles, id Civitates, & respúblicae, id Episcopi, & Cardinales assidue petunt atque contendunt. Quae restametsi magnoperè nos delectat, quod, & liberalitatem, pietatemque tuam declarat, qui plurimum operae, studii, laboris, impense ad tantum opus conficiendum contulisti; & eorum quoque virtutem, fidem, diligentiam testatur, qui regenda atque informanda juventuti apud nos praesunt: tamen non mediocriter angimur,  
 jam



Jam nos in locum tam parvum angustumq; concludi, ut excludere bene multos cogamur, qui omnium rerum inopia male accepti, ad nos præsidii adjumentique causa confugiunt. Ex quo fit ut nonnulli, qui & ingenio valent, & ad Ecclesiam Dei perquam utiles esse possent, cum eos Collegium nostrum non capiat, nec illi facultatem habeant alibi ad bonas litteras incumbendi; sese a consiliis perditorum juvenum auferri sinant, atque ita funditus pereant. In qua cogitatione, & cura cum diu multumque versati essemus, in primisque vir eximia probitate ac sapientia, dudum à te susceptus Ecclesie tue gubernandæ, Franciscus Bossius; qui quidem ad Seminarii dignitatem, & ad publicum commodum omne suum studium confert: animati scilicet melius quam parati, quod præclarum habere arcem videremur, accessionem aliquam adibus nostris adjungere decreramus. Iamq; & jecimus, & constituimus ejusmodi fundamenta, que ut facile commendentur ab omnibus; non propterea quisquam est, qui ad superedificandum de suo quicquam suppeditet. Nobis autem nihilominus erat in animo, id opus quod institueramus, exedificare strenue, ac si fieri posset continuo tectum imponere: sed varii casus, qui sunt postea consecuti, nobis inopinantibus tam salutare consilium extorserunt: in primis autem vini penuria, quod superiore

periore



periore anno propè dimidio carius emptum est, quam soleret. In quem sumptum adeo necessarium periere nobis pecunia, quas in edificatione ipsa poni oportuit, ut eam ob causam, non sine maximo iuventutis detrimento, inchoatum opus relinquere sit necesse. Quod si jam pridem haud amplius in hoc genere tibi molesti esse statueramus, quo Cardinali Amplissimo, & ad bene merendum nato, latiore commodandi alius facultatem relinqueremus: tamen in necessitate hac nostra, publico bono conjuncta, quem alium appellemus? quò accedamus? cui supplicemus? aut quo tandem alio clientes, nisi ad Patronum? quo liberi, si non ad Patrē confugere debebamus aut poteramus? Neq; enim suspicari fas erat fore, ut quam erga nos jam diu benevolentiam, & liberalitatem contulisses, ad alios unquam transfunderes: ac si hoc anno Societati Jesu trecentos aureos in suas aedes edificandas suppeditasses; non nobis etiam in nostras, atq; adeo in tuas largiter, & benignè consultum velles. Quandoquidem nos filii primogeniti sumus, qui lac scilicet à te suximus, & cibum etiam solidiorem hianti ore saptavimus; hoc autem difficillimo tempore, nisi Pater ipse subveniat, aliorum omnium auxilio destituimur: Nulla nobis necessitudines aut clientela; nulla publica privataq; pecunia, præter eam, quam tua liberalitas ultro detulit antehac, & in posterum nostro rogatu delaturam confidimus.

mus.



mus. Alii vel satis ipsi jam per se possunt, vel certe habent, neq<sub>3</sub> ex uno loco, neq<sub>3</sub> ex uno Principe in omnem occasionem ampla subsidia preparata: nobis nihil usquam est, præter unum te: unicum habet nostra necessitas in tua charitate per-  
fugium. Quod si unum nobis claudatur, frustra cujusquam opes atq<sub>3</sub> præsidium imploremus. Quod si te fructus mundanae gloria delectaret; proponeremus tibi exempla multorum, qui de sua patria suisq<sub>3</sub> civibus bene merendo immortale nomen sunt consecuti; nec esset nobis eundem longius: una Patria, imò verò uni penates tui, Cornee illustrissime, satis magnam eorum copiam sup-  
peditarent, qui rempublicam domi forisq<sub>3</sub> omnî tempore sapienter administrarunt, & jus civile, ut olim Philippus Atavus, & rem bellicam, ut proximè Ascanius Frater pari cū laude immortaliter illustrarunt. Etiam illud adjiceremus, quæ in externos alienosq<sub>3</sub>, quamvis maxima beneficia conferres; ea vel aliquo post tempore obscuratum iri, vel certè cum aliis futura tibi cōmunia; hoc autem tempore, Collegio tuo quicquid subveneris, fore totum ac proprium tuum, & ad perpetuas sæculorū ætates cum insigni tua gloria transiturū. Profecto enim quicumq<sub>3</sub> plantatum a te Seminarium inspexerit, & quos in omni ætate fructus feret, animadvertet; id tibi uni feret acceptum, teq<sub>3</sub> tanta rei auctorē, quem nos quoq<sub>3</sub> in primis efferre, & prædicare nunquam

quam



quam desistimus, omni laudis ac prædicationis genere celebrabit. Sed non tu is es, quem ad bene agendum, non potius ipsa per se honestas, & nuda virtus, quam aut species honestatis ambitio, aut merces virtutis gloria possit impellere. Quamobrem cum etiam atq; etiam cupiamus beneficentiam tuam longè lateq; diffundi, & ad quamplurimos pertinere; eundemq; te, qui priora institueris atq; perfeceris, etiam reliqui operis auctorem, & perfectorem fore, & deniq; universum pietatis, & officii fructum ad te transfundi; Te obsecramus, & obtestamur, ut nos liberaliter complectaris, & quæ præterea institutum opus desiderat, ea nobis prolixè cumulateq; suppedites: Dignum opus, si unquam aliud, Christiano, & pio Principe, dignum parente optimo, & patrono amabilissimo, denique (quo majus dicere nihil possumus) dignum Fulvio Corneo Cardinali, & cum ejus antea acta vita consentiens. Vale Perusia. 1580.

---

GULIELMO SIRLETO S. R.

E. CARDINALI

M. ANTONIUS BONCIARIUS

S. D. ROMAM.

**E**T si exploratum habebam, facere me impudenter, qui ad Virum Clarissimum, & maximarum rerum occupationibus impeditum, inanes



inanes litteras darem, tamen quia persæpè in mentem redibat, quam me liberaliter atq; amabiliter complecti consuesses, cum superiore anno honoris, & officii gratia frequenter ad te adirem: jucundissima illius temporis recordatio fecit, ut majorem mihi humanitatis, benevolentiaq; erga me, quam occupationis tue rationem habendam putaverim. Accedebat eo, quod profecto jam isto versus Cardinale nostro illustrissimo, quicum hætenus non fuerat mihi dubium, quin ego quoque unà essem migraturus, & ad Muretum reversurus: planè desperaveram fore, ut assiduo erudienda juventutis munere occupatus, unquam deinceps istuc venirem: nec sanè certum habendam, quando te, aut ubi terrarum, præterquam Romæ, in angustissimo summorum hominum domicilio videre ac salutare possem. Quæ cum ita essent, committendum non putavi, quin saltem mitterem pro me unam epistolam, si minus comptam atq; elaboratam, certè talem qua ego, præter ipsum me, non poteram exhibere testem animi certiore, & veriore. In qua illud te primùm rogabo, ut me quoque tui studiosissimum, nemini concedentem, qui tuam præstantem virtutem vel admiretur magis, vel prædicet libentius, in eorum numero esse patiari, quos in te summa fide, & singulari officio esse intelligis: deinde, ut si quando incidat ejusmodi tempus (incidat autem, opinor, facile)

CUM



sum me apud Cardinalem Corneum patronum  
meum, deq̄ studiis nostris ( quod tibi refero ac-  
ceptum in primis ) non male opinantem, juvare  
possis; des hoc, cum humanitati, & natura tua,  
tum verò etiam constantia, ut me illi per te quã  
gratissimum esse velis. Neq̄ enim me fugit,  
tuas potissimum commendationes plurimũ sem-  
per ( ut par fuit ) apud eum ponderis habuisse.  
Quod superest, persuade tibi, te integerrimum  
virum, ad beneficentiam natum, omni liberali  
eximiaq̄ doctrina politissimum, plane unum es-  
se, in quo ego colẽdo atq̄ observando, maximam  
mihi felicitatis partem constituerim: meq̄ tum  
demum summam mea fortune gratiam habi-  
turum, si quid prestare me posse intellexero, quod  
gratum tibi aut jucundum futurum sit. Va-  
le, Perusia, ex Seminario, postridie nonas De-  
cembris.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
LAURENTIO PARISIOLO  
S. D. R O M A M.

**F**uit mihi majorem in modum gratum, quod  
scribis, M. Antonium Muretum legisse me-  
os versiculos, & visum non improbare; illud ve-  
rò longè gratissimum, quod adscribis, quãsisse il-  
lum postea de me tam diligenter, tam amanter.  
Prorsus enim existimabam, excidisse me tanto  
viro,



viro, post biennium, & eo amplius, quo me non viderat: egoq; lactatus ad hanc diem inanis spe Romam iterum redeundi, & vobis fruendi; raro admodum ad te scripsi, ad illum nunquam. At non habui otium, & tempus vacuum ad scribendum. Scilicet: Ver totum apud Patrem fui, feriatu à studiis per causam corporis exercendi, & valetudinis cōfirmandæ. Nunc re vera ego tempore, gravatus onere molestissimo subdocendi. Sed ego hanc multam indixi mihi, ut sarciam in negotio per diligentiam, quod in otio prætermissum est per incuriam. Tantum te rogo, ut tu afferas, non per alium mittas epistolam, qua me homini purgare sum cōnatus. In Antriate agro genita est, plena raris, & ineptiarum: hoc magis urbanitate ac lepore sermonis tui ornanda est. Vale. Perusia 1580.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS

M. ANTONIO MURETO

S. D. ROMAM.

**Q**Uis se apud principes, & claros viros de litterarum infrequentia, vel de longiore silentio purgare institunt; ferè alterutram harum excusationum afferre solent, ut se dicant, aut non potuisse scribere propter occupationes, à quibus respirandi otium vix habuerint; aut non esse ausos, viro illustri magnarum rerum

C

pre-



procuratione implicito, inanibus literis inter-  
 strepere. Quarum quidem rationū utra me mi-  
 nus hoc tempore uti deceat, non sanè intelligo.  
 Dicā mne occupationibus meis esse factum, ut to-  
 to ferè triennio nihil dederim litterarum? Id  
 verò si dixerò, primūm mentiar; quia per asta-  
 tem binis saltem mensibus rusticatus sum, leva-  
 tus omni onere tam docendi, quam discendi se-  
 ria, & gravia, solam quarens, de consilio medi-  
 corum, animi remissionem, & corporis firmitudi-  
 nem: deinde cum hoc tibi Parisiolus indicaverit,  
 à quo meas etiam rurales musas accepisti; jam  
 video, si maximè velim, non licere abuti amplius  
 ignoratione tua ad excusandam ignaviam me-  
 am. Quid ergo? cōfugiā mne ad alterū diver-  
 ticulum de obscuritate mea, de claritudine tua?  
 & quando mea me negotia non satis tegunt, la-  
 tere studeam sub tuis? Ne hoc quidem est tu-  
 tum satis: memini enim, cum proximè venis-  
 sem ad te domum, rogassemq̄, numquid velles  
 Perusiam ad amicos; inter cetera mandasse mi-  
 hi, ut crebrius ad te scriberem, maximè si quid  
 occurreret inter studendum, quod mihi diffici-  
 lius, impeditius, obscurius videretur. Utinam  
 verò fuisses adversum me inhumanior aut seve-  
 rior: non hererem tantopere in clausula hujus  
 epistolæ: paratum esset inertiae meae bonum per-  
 fugium in tuo splendore, & gravitate: nunc  
 ideo evadendi viam non reperio, quia omnem  
 aditum



aditum tua preclusit humanitas. Preclusit, inquam, mendacio, & vanitati: sed confessioni, sed precationi adeo non preclusit, ut etiam expedierit, atque reddiderit planiorem. Rogo ergo te, Princeps omnis humanitatis & doctrine miraculum, pro tua tam propensa in me voluntate, quam multis argumentis habeo exploratam, ut meum silentium non animo parum grato. & parum memori, sed totum incogitantie atque socordiae tribuendum putes: Verissimum enim est, quod Cornelius tuus queritur, In ingenio a labore ad otium transgressis, subire paulatim inertia dulcedinem, & desidiam primo invisam, postremo amari. Sed non ultra, mihi crede, amabitur; excitabo me sedulo, & quos fructus ab otioso non impetravi, hos exigam ab occupato. Vale. Perusie. 1580. Horatius Cardanetus, & Gibertus de Oddis, cum quibus assidue de te colloquor, multam tibi salutem adscribunt.

HORATIUS CARDANETUS

M. ANTONIO BONCIARIO

S. D. R O M A M.

**M**I Marce, erit hoc tibi pro longiore exordio; etenim τὰ ἑπιτορικὰ atque ἰγνύκλια omnia prorsus ab amicitia nostra abesse volo. Miraberis scio, cum tibi nec opinanti reddita fuerit hac epistola: ac statim dices, Quid sibi

C 2

vult



vult Cardanetus, qui alias nunquam ad me literas? At hoc officium equi boniq<sup>3</sup> facias. Nam & ab amore manat, & tuam spectat utilitatem, cuius ego sum cupidissimus. Eò magis inquires, scribēdi causam scire a veo, quod amoris officiiq<sup>3</sup> plena est. De ea nunc ne labores. Coram audies, eaq<sup>3</sup> delectabere: puto namq<sup>3</sup> te paucis diebus urbanum fore, operamq<sup>3</sup> tuam optimis honestissimiq<sup>3</sup> civibus navaturum, ac ex ea multa consequuturum. Interea velim, pusillum quiddam istis mea causa facias: pares mihi aliquid olearum, quae ejus sint naturae, ut facile dulcescant, & teneritate suaves sint palato. Haud magnam fuerit negotiū eas diligere propter magnam in istis locis ipsarum copiam. Res est, ut dixi pusilla; sed multum ego te de ea amabo. Scis enim hujusmodi cibum, cum tempus postulat, aliquo in pretio esse. De reliquis rebus quid est, quod scribam? Nihil prorsus. Ac, ut verè dicam, nihil nunc difficilius facio, quam cum aliquid scribo: quod superioribus temporibus & libens, & cum voluptate faciebam. Aetatis quidā quasi fervor ad hunc me, aliosq<sup>3</sup> studiorum labores facile incitabat: nunc valetudinis infirmitas, varii morbi, quibus tentor quam saepissimè, ipse etiam cura, quas maturior soles aetas afferre, segniorem indies faciunt; verumq<sup>3</sup> experior, quod scribit Herodotus in Thalia: augescente corpore, mens quoq<sup>3</sup> simul capit incrementum, atq<sup>3</sup> eo senescente, con-

te, con-



te, consenescit. Vale, omniq; deposita admiratione, eo quod scriptum est animo, hoc quicquid est litterularum, lege. 16. Cal. Octobr.

M. ANT. BONCIARIUS S. D.  
HORATIO CARDANETO.

PERUSIAM.

Qua hora perlata sunt heri vesperi litteræ tuæ, jam ego, cum reliquis impedimentis libros etiam in arcam conjecerã, quos hodie istuc deportandos curavi. Neq; me tamẽ ea una causa breviorẽ in rescribendo facit: sed multo magis quod, quonã epistola tua pertineret, & quam ob causam ( ut ita dicam ) suspensio calamo scripta esset, divinare nunquam potui. Sed, ut tu scribis, divinator haud paulo melior, quam ego fuerim, brevi una erimus, non plus habeo hic moræ, quam dum lego tibi oleas, quas petis, quarum & si hoc anno mira paucitas est, & ea que sunt, nescio qua labe vitiate, & ad vescendum minus apte putantur fore; tamen confido, me longe optimas, & sapidissimas inventurum, & cras omnino, nisi quis casu impedierit, allaturum ad te. De ceteris rebus quid rescribere possim, nescio. Illud tibi affirmo, tantam expectationem movisse mihi tuas litteras, ut præ studio quam primum istuc veniendi, noctem sim habiturus longiorem illa, quam Sofia Plautinus pependit perpetem. Vale ex Oppidulo Antria. 1580.

C 3

M. ANT.



M. ANTON. BONCIARIUS  
HORATIO CARDANETO, S. P. D.

**C**ommodū digressi eramus heri vespere, post salutē a te mihi Angelelli nomine nunciatam, cum ingenuus adolescens Hieronymus Quirinus ad me se contulit; qui quidem etiam se accepisse dicebat litteras ab Angelello, in quibus mentio de me fieret perhonorifica. Quo nuncio, quod ad illum alterum continenter accederet, adeo sum delectatus, ut mihi quoque venerit in mentem posthac non ita humiliter atque abjecte de me sentire: quando a magnis viris praesertim tui peramantibus, ultrò me laudari & salutari video. Neque mehercule vereor, ne non testimonia tam firma & gravia plurimum valeant, ad aliquam aliquando famam nominis colligendam & sustinendam. Hac ego videlicet interdum animo agito, suavissime Cardanete, cum quid mihi honorificentius evenire intelligo, quā speraverā. Ineptè inquit. Fateor: fortasse etiam impudenter. Sed planè non possum non videri mihi esse aliquid, quod vobis peracri iudicio viris ita videor, & me majus flagitium esse admisurum putavi, si testimonium vestrum refellerem, quam si plus nimio mihi tribuerem. Tu nihilo minus tecum hoc habe: ne Ubaldo quidem, aut Baldellio dixeris; ac ne Ansideo quidem. porro coeuntibus vobis ferè quotidie apud Aene-

am,



am, in domum nostræ proximam; periculum est, ne quid Collegii Præfectus inaudiat: quæ ego errare profecto malo, quàm me aut stultum, aut ambitiosum putare. Atq; hæc hodie manè familiariter tecum joculari libuit: quo vel ex hoc posses intelligere, testimoniũ ipsum Angelelli quantifacere; quæ nolui esse mentitũ in illo uno, quod scribit, me tibi esse perfamiliarẽ. Mitto ad te selectarum epistolarũ volumen: in quo leguntur epistolæ perdisertæ, perq; honorificæ Lambini ad Angelellum felicẽ medius fidius virum, Cardanete, si unquã alius, quem Manutii, Mureti, Victorii, Lambini non solum amarunt, sed etiã ornarunt æternis laudibus. Quò est mihi, eritq; in posterũ amor hominis optabilior, consuetudo jucundior, laudatio gloriosior. Vale, ex Collegio Seminarii.

HORATIUS CARDANETUS  
M. ANTONIO BONCIARIO, S. D.

IN SEMINARIUM.

**R**emitto librum: de quo, ac de epistola per-  
eleganti illa quidem ac perurbana, cum eo  
ad me missa, multum te amo: ex quibus valde  
te officium colere perspexi, quòd cũ amici nomi-  
ne te salutaverim, voluisti me mittẽdi libri, atq;  
epistole officio remunerari. Placet igitur mihi  
officiosa hæc tua humanitas, qua propria virtus  
est hominis, illius præsertim qui ejus generis  
studia tractet, qua ab ea nomen sumpserunt.



Quod autem haud demisse de te sentias, laudo: verum non eam ob causam, quod Angelellus tibi per litteras salutem impertiat; eamq; ipsius ego nomine dicam: non enim in nos sumus, de quibus gloriari queas: sed quod talis ipse es, ut ample sentire de te possis. Virtus namq; se ipsa novit: quod nisi se nosset, haud virtus esset. Adde quod, qui humiliter de se sentit, humilia etiam cogitat. Sic fit, ut nihil excelsum neq; amplum spectare queat, sibiq; proponere: ex quo sequitur, ut nec etiam consequi possit. Ipsi Poeta, quibus te majorem in modum oblectari audio, & in ea facultate longe progressum esse, quam elate de se sentiunt? Exegi monumentum ere perennius (vide quam gloriose de suo opere loquatur Lyricus) Regaliq; situ Pyramidum altius:

Quod non imber edax, non Aquilo impotens  
 Possit diruere, aut innumerabilis  
 Annorum series, & fuga temporum.

Audi alterum:

Jamq; opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,  
 Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.  
 Hac libuit respondere ad tuas jocationes, ut me quoq; ab humanitate nihil abhorrere videas. De me vero humilime ego, atq; abjectissime sentio: ac, si hoc vitium est, fateor me eo non carere. Bellum est enim (ut scribit Cicero) sua vitia nosse. Quod situ, mi Bonciari, aliquid me esse mihi persuaseris, Manutius quidem ac Muretus haud persuaserunt, magnum quiddam prestiteris:  
 mibiq;



mihiquæ gratissimum feceris: qui namque mihi hæ-  
 tenus vehementer displicui, placere incipiam:  
 quo fortassis etiam fiet, ut jucundius vivam. Ve-  
 rum hæc hæcenus: mitto ad te Carmen quod-  
 dam hexametrum doctissimi viri Achillis Sta-  
 tii in obitum Regis Lusitania, Roma missum, ut  
 aliquid mitterem, plura sanè vellem: Sed qui  
 possum hoc tempore, quo nihil mihi est vacui  
 temporis? pauca hæc, levia, inania scripsi, ne ad  
 epistolam tuam nihil responderem. Vale.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
 FRANCISCO CITORÆ

S. P. D.

Postquæ mihi ab hesternis docendi laboribus  
 otium fuit; relegi ter, & sæpius funebrem  
 concionem Rinaldi nostri, in qua Eloquentia in-  
 teritum deplorat. Et vide, inter legendum, quid  
 novum inauditumque mihi contigerit præter con-  
 suetudinẽ hujus generis Orationum. Scis enim  
 in hoc potissimum cõparari laudationes, ut Au-  
 ditores humane sortis commonefaciant, & ad  
 commiserationem adducant; quandoque etiam a-  
 lienis malis illacrymari cogant: nam quæ nihil  
 horum efficiunt, frigidas & jejunas putamus. Mihi  
 verò contra accidit: nam & oratio, quo sæpius  
 lecta est, eò magis probatur, & de optimarum nu-  
 mero esse ducitur: tamen me nihil affecit, nihil

C 5

com-



commovit: tantum abest, ut gemitus, aut lacry-  
 mas excutere potuerit. Quod quidem eo admi-  
 rabilius debet videri, quod & Oratio omnes mo-  
 vendi vias tenet: & ego parentem mortuam in-  
 pberetro cōpositam, ejulantesq; circum Musas  
 ita animo contemplabar, ut oculis ipsis cernere  
 viderer: tamen, quod dixi verissimum est, ma-  
 gna hujusce ingenii doctrinaeq; admiratio conse-  
 cuta est, miseratio autem nulla; credo, quia non  
 potui animum inducere, ut isti crederem, in-  
 teriisse Eloquentiam, quae in illius sermone vi-  
 vā se ac vegetā ostendebat. Ita quanto ille ma-  
 gis contendit auditores inclinare ad luctum, tan-  
 tō plus excitat, atq; extollit ad hilaritatem, quod  
 quā periisse suspicabantur; eam in ipsius ore spi-  
 rantem, atq; adeo valentio rem robustio remq;  
 quam antehac unquam, intuentur. Nam quod  
 fortasse posses objicere, iccirco mortuā debere vi-  
 deri artem ipsam facultatemq; dicendi, quia O-  
 rator ipse, ut ex te audiui, ab hoc studio huma-  
 niore ad Theologiā se conferebat: mihi certē non  
 videtur, propterea quod non si fiat Theologus,  
 ideo desinet esse Orator: imō, quod ait Lanctan-  
 tius, lingua tum propriē suum munus exequi-  
 tur, cum in veritate versatur; & à mundana va-  
 niloquentia ad perorandam Domini causam  
 transfertur. Quod & Tullius visus est consiteri,  
 dum testatur, nullam esse sine sapientia discipli-  
 nam rationemq; dicendi. Neq; ego non eloquen-  
 tissimos



tissimos viros fuisse dixerim ex nostris Cyprianum, Arnobium, Hieronymum, itemq; ex Grecis Basilium & Nazianzenum, qui, quam in scholis didicerant, vim expolienda atq; amplificanda orationis, eam in divinis litteris explicandis atq; illustrandis consumpserunt. Quod si nihilo minus persuaderi nobis posset migrasse è mundo Eloquentiam, & desisse per aliquod tempus in terris agere: tamen dico, ne hoc quidem fore satis ad animos permovendos, aut ciedas lacrymas. nam credibile est, illam ipsam, si viva non sit, præoptasse mori, ut tam luculenter laudaretur. Vale.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO S. D.  
ROMAM.

**U**T primum mihi nunciatum est, rediisse Romam Petrum Gambonium, ex vestra Societate insignem concionatorem, mihiq; valde familiarem, qui cum unâ te profectum esse constabat: nihil prius faciendum mihi putavi, quam ut viserem hominem, & sedulo de te quarerem. Ergo, quamquam molestis ac difficilibus implicatus negotiis, abjeci omnia, Petrum conveni, ac de te sumus locuti diu cum mea maxima & incredibili voluptate: ne darem autem continuo aliquid litterarum, id fuit causa, quod



quòd expectabam, dum mihi Gamillus Farnetus legendum traderet Epicœdium, quod, te hortante ac jubente, promiserat: volebam namq<sub>3</sub> ex eo poëmatio capere aptum mihi epistolæ argumentum, & unas mittere duplicis lætitiæ testes litteras. Nunc quando Epicœdium adhuc non vidi, & Farnetus à me sæpè admonitus, atque appellatus, haud ille quidem negat dare; sed certè agit eo modo, ut perspicuum sit minimum illum laborare de nobis: jam illi desii molestus esse. Epicœdio non facile possum carere: quamobrem malui eo nomine scribere tibi epistolam, quam illi dicam. Facies igitur pro eo, quantum me à te amari affirmat Petrus, & ego spero, ut versus cum erit commodum, ad me mittas: quibus si funebrem concionem, Mureto communi magistro à te habitam, velles adjungere; ne Marius frater meus, qui nunquam non de virtute & præstantia tua loquitur, munus à te haberet, supra quàm credi potest, gratum: quem ipsum quo intelligas meritum esse, ut velis sua causa, vide, amabo, ecquid proximè per illum tibi contigerit; imò verò ecquid mihi per te atque illum. Meminisse te arbitror, quo die misi eum manè ad te cum exemplaribus Orationis meæ, ut te ille abeuntem optimis ominibus est profecutus. Certè ego utrumq<sub>3</sub> mandaveram, tum ut tibi exemplaria in manum daret, ut etiam te juberet meo nomine bellè & faustè ambulare. Mox igitur

tur



tur ad me ut rediit, quid tu, inquam, cum Ben-  
 cio? Ego, inquit, quomodo mihi imperasti, post  
 datos libellos precatus sum homini bonum iter:  
 contra ille precatur tibi fortunam bonam. Her-  
 clè haud dicā dolo, tetigit ea res illicò animum:  
 Et nescio quo modo, neq; qua via in spem veni,  
 tacturum id tuum sive omen, seu votum Deos:  
 nec me mea spes frustra habuit. Porro post dies  
 paucos veniunt nobis ab Antonio Maria Gallo  
 Cardinali, Et Episcopo nostro littera per libera-  
 les, perq; honorifica, quæ me jubent conditione  
 bona, Gymnasiarchis ultrò rem deferentibus, in  
 publico Perusino Gymnasio profiteri. Magnum  
 onus: præsertim mihi, cum hujus generis impe-  
 rito; tum me herculè, ut scis, in meo munere oc-  
 cupato: honestum tamen Et fructuosum: deni-  
 que ejusmodi, quo ego ne optare quidem debui  
 melius. Hoc quis neget, Benci amabilissime, ex  
 illa bona ominatione tua esse ortum? certè ego,  
 quæ viri optimi Et præstantissimi benè ominan-  
 tur, ea neq; unquam metui frustra fore, Et id  
 subito speravi casurum bene, quod est factum.  
 Quare, ut vides, Et me tibi debere oportet pluri-  
 mum, Et te Mario meo aliquid, qui unus facit  
 augurio tuo fidem. Ama nos, Et vale. Peru-  
 sia, ex Collegio Seminarii, 5. Id. No-  
 vemb. 1587.

FRAN-



## FRANCISCUS BENCIUS

EX SOCIETAE IESU,

M. ANTONIO BONCIARIO

S. D. PERUSIAM.

**A**T tu tibi rem fore putabas cum officioso homine, & humano, qui quemadmodum amicis respondet in amore, ita etiã ad litteras rescriberet: non cum agresti aliquo, & ut leviore verbo utar, negligenti. Quid facias? Dedisti hoc mihi, non concedam, ut reducas calculum, etiã si te dati poeniteret. Utaris oportet ea conditione, quam tute tibi imposuisti. Non te meministi meum esse. Satis hoc, inquis, pro imperio. Ita est: facio eorum more, qui in publicis scholarũ concertationibus, ubi eò tandem redacti sunt in disputando ab adversariis, ut certis quasi inclusi & circumscripti angustiis nihil habeant, quò progrediatur: avertunt a disputatione orationem, vocem in confesum & coronam effundunt, clamorem etiam tollunt, ut pretextant inscientiam vociferatione, & auxilium ab audacia mutuuntur: nempe perfricui frontem, neq; cum calamum sumpsi, ut tam longo intervallo rescriberem ad tuas, aliud ferè inveni excusationis genus, nisi ut te ultrò venirem ferè accusatum, & pro reo petitor existerem. Quanquam ita tibi persuadeas velim, Bonciari humanissime, me ad te scripturum statim fuisse, si habuissem, quod rogabas ut mitte-

rens



rem, vel non distuliffem ad hunc usq; diem, ut pro eo quod petebas, mitterem aliud quiddam, quod cum his literis accepisti. Quod quidem etsi leve videbitur, ut sunt mea omnia: erit tamen vel ob eam causam non ingratum tibi, quod accepisti andem literas meas, quas, opinor, te accepturum aliquando ex tam diuturna atque inani expectatione; jam pridem desperaveras. Ἀἀμὲν igitur τὴν διδόμενα, atque ea quidem inductione animi, ut cum accedes ad ea legenda, non adhibeas tecum limatum illud iudicium tuum, sed amorem, qui imponet tibi, ut vel vitia ipsa non appareant, vel virtutum præse ferre speciem videantur. Crede mihi non mitterem, nisi sperarem fore, ut hac me tibi ratione de tam longo silentio purgarem. Hoc tu velim, quicquid est, cum Mario tuo communices: quæ non possum non amare, & amore sanè non vulgari, vel quod est frater tuus, vel quod me diligit, vel quod ipse, ut conjicio ex literis tuis, egoq; præsens antea perspexeram, tantoperè est amandus. Illa enim omnia, & Deos illos tuos, tuum illud herclè, quæ omnia abesse voluiffem ab epistola tua, cetero qui, mihi crede, elegantissima, mi Bonciari, valere facillimè patior. Quod tu quoque facies, si me audies, ut Ciceronis quidem suavitatem redoleant, quod faciunt, scripta tua: sed tamen ut a Christiano homine profecta esse videantur. Quod te facturum spero



spero posthac non tam rogatu meo, quam cogitatione officii tui: adhuc enim prolapsus te esse intelligo in illas loquendi formulas, quas respuunt aures piorum, eò potius, quòd ex assidua haeserunt veterum lectione, qui ita scripserunt; quam quòd tu deliberatum habeas cum animo tuo idem esse faciendum. Imprudens & impudens viderer fortassè alii, si quas primas ad eum do litteras, eas implerem importunis ( sic enim appellaret quispiam ) hisce admonitionibus. Me autem hoc de te eximius pudor tuus, atque humnitas, qua in postremo congressu illo nostro vespertino satis apparuit, suspicari vetat; jubet magis sperare, ut in ea, quam, cum tibi erit commodum, ad me libebit mittere, epistola, te in hoc solum immutatum esse videam: amorẽ enim illum tuum, quem tua voluntate suscepisti, ut integrum semper inviolatumq; conserves, non quòd ea dere vel minimum dubitem, sed quia cupio maximè, a te ita contendo, ut majore studio contendere nihil possim. Vale, & a me fratrem tuum Marium plurimum salutes. Rome 10. Cal. Febr. 1588.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO S. D.

**A**D tuas litteras amoris atque officii plenas, quas mihi Petrus Gambonius unà cum Dramate tuo reddidit, certè hodie non respondi-  
sem.



sem præ inopia vacui temporis, ni me urgeret ea particula, in qua sensi te subvereri, ecquo modo acciperẽ admonitionem tuam. Propterea quod istam ipsam suspicionem, quamvis tenuem ac pusillam, nollem tamen diu manere apud te; neque alia fuit causa festinationis meae, quam quod eam ex animo tuo penitus esse amotam volo: ne tu fortasse existimes, eo me statim rescribere, quod non habeo, qui me purgem postea, neq; quo pretio redimam, ut tu facis, paulo longiu intervalum. Igitur ita tibi persuasum habeas, Benèci optime atq; humanissime, omnia in tuis litteris jucundissima mihi accidisse, quod me tuum vocas, quod meum fratrem diligis, quod munus nobis tam lepidum ac bellum mittis: Et istac tamen vinci facile ab ea voluptate, Et fructu, quem ego quotidie uberiores ex admonitione tua capio: id quod non tu tamen pudori meo magis, quam ambitioni debes tribuere: quomodo enim non mihi gloriosum putem, quod ex una nostra congressiuncula homo propè nullius pretii, jam usq; eo tibi amandus videor, ut me quasi fratrem moneas: usq; eo prudens, ut quasi à fratre, quicquid monueris, id me speres belle accipere, neq; offendi quicquam. Sed ad rem. Prorsus persuadet mihi vel auctoritas tua, vel etiam, ut scribis, cogitatio officii mei, ut posthac Deos veterum longè abesse à lingua Et calamo meo veolim; jam non Mediusfidius, non Mehercule;

D

non



non ullum hujusmodi usurpem loquendi genus:  
 qua quidem, ut tu rectè coniecisti, veterum le-  
 ctio olim mihi affricuit imprudenti, recentio-  
 rum consuetudo aluit, & confirmavit: fefellit  
 autem me inprimis, quòd persuasum haberem,  
 ea verba jam pridem à sua significatione in aliã  
 esse detorta: neq; cum dicerem Mecastor aut  
 Mehercule, ita esse accipiendum, quasi jurarem  
 per Herculem aut Castorem: verba ipsa jam  
 non amplius habere vim jurisjurandi, sed sim-  
 pliciter affirmare, quasi Adverbia: neque quic-  
 quam referre omnino, utrum Certè dicerem, an  
 Mehercule Quomodo enim nostra populari lin-  
 gua cum appellamus hominem honestiorem,  
 non nos directè cum illo loquimur, sed continuo  
 ad Dominationes, Excellentiasq; convertimur,  
 & per istac seu cum istis quasi cum ipso homine  
 fabulamur: neq; nos tamen cum dominatio-  
 nem hominis dicimus, non ipsum hominem in-  
 telligi volumus: propterea, quia dominationes  
 istiuscemodi, per translationē usurpatae, jam du-  
 dum, ut ita dicam, domo ejectae, & suis fini-  
 bus exturbatae, commigrarunt aliò, & sibi aliam  
 sedem, & domicilium compararunt. Sed nove  
 hospites nequaquam in alieno tantas opes possi-  
 dent, quantas domi: & quae antea erant solis di-  
 vitibus, & imperiis apta verba, iis in angustum  
 retractis, atq; ad egestatem redactis, etiam ad  
 villas & praedia passim abutimur. Tale ego quip-  
 pianè



piam in illis formulis videbar agnoscere, quo minus cum opus esset nollem uti. Tenes igitur quid erraverim. Ac quando intelligis jam me esse ex tua castigatione meliorem, & nunc verò ac serio tuum: amabo te, mi Benci (nam quid dubitem ego quoque te meum dicere, si sum ego tuus?) pro eo quantum deditissimi tibi hominis vitam expetis, perge me amare, instruere, castigare. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Marius frater in Ergasto tuo totos dies ponit: mihi tantisper ejus legendi copia est, dum illi locum aliquem obscuriorem explico, & edisfero. At ego perlegi accurratè ipso illo die, quò est redditus. Neque tamen in presentia libet scribere de illo quicquam. Potius enim mea tanta loquacitas equitate tua indiget, & bona venia, quam opusculum illud desiderat meam laudem. Vale Perusia, Postrid. Non. Februarii. 1588.

---

M. ANTON. BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO

S. D.

S Cio, Benci, quid vereare, his alteris à me acceptis literis; cum quidem ad priores nihil à te sit redditum. Sed libero te ista cura, non queror, non expostulo. Quin volo scias, eam maximè fuisse mihi hodie causam scribendi, quod vere-

D 2

7673



rer, ne tu cum scribere aut non posses, aut nolles etiam si posses: hoc me agrè esse laturum putares. Quanquam sunt mihi semper exoptatissima tuae litterae: tamen haud ita mihi faveo, quin intelligam, & confitear, me iis ipsis, quas haëtenuß bene multas à te accepi debere esse contentum: praesertim cum sciam Perusia tibi esse amicos veteres, quibus ipse me non comparo, disertissimos atque honestissimos viros: & me tamen non nimis habere, iis quid inuideam, quod quemquam eorum pluris feceris, aut facere videare. Itaq; non possum non ita existimare, felicissimè agi mecum eo ipso duntaxat, quòd me ames. & quidem ut sentio, non vulgariter. Ne me censeas ultro esse tecum expostulaturum, si non rescribis interdum ad meas. Ergo de literis ut libet. Farnesiana tua laudationem, atq; unà nostram epistolam, de qua proxime ad te scripsi, velim omnino mittas. Porro ego in praesentia neminem Roma habeo, cui possim id negotium dare. Amabo te pariter de utraq;. Marius fortasse plusculum de oratione. Fac valeas. Perusia 16. Cal. Sext. 1589.

---

FRANCISCUS BENCIUS S. D.  
M. ANTONIO BONCIARIO.

**B**Is ad me scripsisti: nescio quid postulasti: expectas ad utrumq;. Respondeò jam tanto festinan-



stinantius, quanto serius epistola, & postulatio-  
ni: utinam aequè expectationi, epistola tardita-  
tem excusabunt mea turba: postulationem su-  
perabit munus conjunctum cum literis, opinio-  
ne cumulatus: expectationem habeo adversam,  
cui non potero satisfacere: novi teretes istas au-  
res, & limatum iudicium tuum. Sed sit quoq;  
in his, oro, aliquid amoris loci: ut non nevus mo-  
dò in articulo Alcaum, sed macula etiam in toto  
corpore amicum delectent: quas maculas in qua-  
tuor eadem de re opusculis habuisse multas necesse  
est inopia vel ingenii vel temporis, & si hac ego  
non afferò, ut aliquid apud te valeant, sed apud  
alios, quibus fortè ostenderis: à te enim ut pur-  
ger, omnes meas rationes ad tuam erga me bene-  
volentiam referri volo. Vale 5. Cal. Sext. 1589.

Quam requiris epistolam, non video qui pos-  
sim mittere, nisi Marius rescribat, quem Ro-  
mam propediem venturum nescio quo modo  
presagit animus; ei meo nomine, & Ansideo  
salutem.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S. D.

**A**Go tibi, Benci, ingentes gratias de gravissi-  
simis & politissimis orationibus ad me mis-  
sis: quibus præclare respondent carmina, quibus  
non memini me legere meliora. De utrisq; cum

D 3 mibò



mibi heri necesse fuerit, quid sentirem, dicere in  
 cōventu hominum literatissimorum, ita respon-  
 di, etsi genus carminum Ovidianum esse consta-  
 ret; tamen vim quandam poëticam, quā ego non  
 perinde possem exprimere, atq; habebam in ani-  
 mo; eam mihi non aliunde petitam videri quā  
 ex Virgilio. Juxta mecum sensere homines in eo  
 genere excellentes: Et si non nullis initium elegia  
 prima subobscurum est visum. Porro autem de  
 orationibus nemo habet dubium, quin vivant  
 prope sola ad posteros. Eo rectius à te factum est,  
 Benci, qui subinde socia comparata, solitudini  
 prioris filia prospexisti: tametsi, quantulum qui-  
 dem ego intelligo, quae primo est edita, tanto pra-  
 stat posteriori, quanto hac ipsa omnium omnibus  
 in illo genere antecellit. Ergo ego quidem amo te  
 majorem in modum de his singulis: Marius,  
 quod mirere, haud paulo plus de epistola: ex qua  
 nō nullam in spem venit fore, ut Romam veniat:  
 non temerè esse, quod presagias istuc ipsum, quod  
 scribis: videre te aliquid fortasse, quod ipse ne-  
 sciat, Et venturum olim cum minimè cogitabit.  
 Vale. Non. Sext. 1589.

---

FRANCISCUS BENCIUS S. D.  
 M. ANTONIO BONCIARIO.

**P**Udet me, mihi crede, quotiescunq; ad te scri-  
 bo, primum quidem cessationis meae, deinde  
 verò



verò expectationis tuæ. Ego nimirum excutere non possum pigritiam illam meam, quæ jam ex cōsuetudine in naturam vertitur: tu autem immines assiduè in epistolas meas, quas etiam antequam accepisti, spe devorasti. Ita nec mihi placeo, nec tibi. Dices: tantum ne negotii ad amicum quatuor versiculos? quò minus est negotii, eò tardius adducor ad conficiendum: quod videlicet eam ad rem tempus deesse non possit; interea sint prevertenda alia, quæ plus requirant operis ac temporis. Sed scis profecto pactiones nostras, quarum beneficio libens utor, atque etiam, ut spero, te libente. Sed quid toties eadem? Aveo scire ut valeas, melius ne tibi factum à lipitudine, qua impediti significabas scriptionem tuam: quid, in proximum annum meditare, quid publicè explicaturus: ego scilicet Sextianam. Sed heus tu: Verum ne quod modo audi- vide Cardaneto? O jacturam nisi humana omnia humaniter ferenda essent, homini vix ferendam: quanquam ipsa etiam humanitas, ut non mediocriter commoveamur jubet: quæ facit, ut quanta fuerit humanitas viri in suo genere excellentis, intelligamus nunc magis carento, quam antea intelligebamus fruendo. Sed homo certè erat: neque nos reliquit, sed antecessit. Me tam serò cognovisse. Vide, tantum non calamum sumpseram in manum, ad eum ut scriberem longo intervallo. Sed profecto



convertendum est officium ad *Ansidaum*: qui etsi antea mihi amicus magnus, nunc erit major altero tanto: quod transfundam in eum heredem, nempe non tantum opum, sed etiam virtutum *Cardaneti*, amorem, quo *Cardaneti* ipsum prosequabar, singularem. Interea nos comparemus, *Bonciari*, eandem ad viam: paremus sive instrumentum, sive viaticum humanitatis, pietatis, beneficentiae, Christianarum denique virtutum. Illa sunt verè bona, quae etiam mortuos sequuntur. Vale. Roma.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S. D.

**S**Edebam apud functam bibliopolam, ut ferè soleo, per dies recreando animo destinatos: cū ecce tibi afferuntur in tempore non ita grandia chartarum involucria, partim *Florentia*, partim *Roma*. Ibi ego: *Mi homo, inquam, nunquid novi? Nequaquam, inquit, prater funebres aliquot laudationes, ne eas quidem tibi, opinor, novas. Cum surrexisssem, coepissemq; evolvere satis cupide ut soleo; reperi τὰς πολλὰς τῶν πολλῶν: plerasq; Farnesianas; in his, mihi crede, ne unam quidem non etiam Etruscè versam. Una omnino erat prior tua, quam nemo verterat. Ex eo venit mihi in mentem, id negotii Mario meo dare: haud ego quidem eo consilio, quia edi velim:*



lim: nihil minus: novi ejus mediocritatem ingenii, & scio hujus generis difficultatem, si quis modo non ineptissime facere velit: sed ego hanc illi volo esse occasionem exercendi ingenii, legendis tuis. Eum vero, si quid erit quod minus percipiat, & erunt opinor pluscula; jussi ad te scribere, te consulere. Neq; sum adeo impudens, aut ineptus, qui te jubeam rescribere illi quicquam. Credo, magna causa est, quamobrem debeas illa gravissima, quorum expectatione angimur, vel tantulum intermittere. Potes autem, si tibi videtur, Benci humanissime, pro tua in illum non vulgari benevolentia, proq; ejus in te observantia prorsus maxima, & singulari: potes, inquam, de tuis auditoribus unum quem tu velis, cum eo comparare atq; committere: per quem postea non ad Marium modo, sed ad me quoq; tuam sententiam de re quaq; transmittas licet: ut tu unum habeas legendi onus haud sanè grave; scribendi tadio supersedeas. Vale, prid. Non. Sept. 1589.

---

MARIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO

S. D.

ET si suppedebat me, Vir prestantissime, omniq; disciplinarum varietate ornatissime, inanes litteras, easq; horridas & incultas ad te dare; tamen cum cogitarem, quam me humani-

D S ter



ter atq; amanter in omnibus ad fratrem epistolis  
 appellares; nihil erat propemodum, quod non de  
 tanta benevolentia mihi polliceri posse viderer:  
 itaq; nunc nescio quomodo sapius mihi in men-  
 tem venit sperare, ut ad me, cum tibi commodis-  
 simum erit, rescribas aliquid, quam vereri, ne  
 forte molestus atque importunus tibi scribendo  
 sim. Illud autem si assequar, nihilo me minus fe-  
 licem existimabo, quam si id mihi contingat,  
 quod scribis te presagire de meo Romam adven-  
 tu. Sed quoniam mihi haud ignote sunt maxi-  
 me gravissimæq; occupationes tuæ: magnopere  
 a te peto, ut saltem excites adversum me unum  
 aliquem institutum tua disciplina: qui cum &  
 me exerceam in scribendo, & de te, id quod cu-  
 pio maximè, nunquam non audiam, & sciam  
 aliquid: ita videlicet nullo cum tuo incommo-  
 do duplicem ex ea re voluptatem & fructum ca-  
 piam. Unum illud te rogo, ne quem adeo va-  
 lentem ac fortem deligas, cujus ego impetum su-  
 stinere non possim: nosti enim imbecillitatem in-  
 genii mei: & vereor, si me acrius urgeat adver-  
 sarius, ne mihi frater advocandus sit. Quod si  
 tuus quoq; ad te confugiat, & tu illi subsidio ve-  
 nias: imitabimur tirones cucullatos, qui dum  
 inter se disputant, interponentibus se magistris,  
 locum cedunt atq; pugnare desinunt. Hoc ut fa-  
 ceres, rogarem te verbis pluribus, nisi vererem, ne  
 me putares aut benevolentie tuae parum confide-  
 re, aut

re, aut



re, aut diffidere humanitati. Vale. Perusia, V.  
Id. Sept. 1589.

---

FRANCISCUS BENCIUS, S. D.  
M. ANTONIO BONCIARIO.

**R**evixisse mihi videor ex quo levatus sum  
onere, quod me aliquot menses ita tenuit, ut  
quoniam non licebat mihi loqui cum amicis, id  
esset morte accerbius. Nunc & amici admit-  
tuntur ad colloquium, & sumpsi in manus epi-  
stolas non paucas, ad quas nisi quid inciderit ( ut  
multa sæpe solent necopinanti ) erit rescriben-  
dum. Occurristi tu & Marius noster: sed ego  
neutri puto injucundum fore, si duos parietis ea-  
dem fidelia: nam & vos unum estis, & ego amo  
utrumque, quamquam te observo magis, ut de-  
beo, M. Antoni. Vix credas, quam afficior le-  
gendis tuis: ut doleam ferè meam infelicitatem,  
qui istinc discessum non protulerim saltem u-  
num diem, ut eum totum consumerem tecum.  
Nunc restat consolatio litterarum non levis qui-  
dem illa. Sed nemo est, qui minus otio abundet  
quàm ego. Quid enim arbitrare me jam libe-  
rum esse? Sisyphium saxum volvo: quod cum  
dico, non intelligo docendi munus, quod non fa-  
cio tanti, sed interiora quadam, & *μουσικὰ τέχνη*,  
quod & feci anno superiore, scribēdi. Dum enim  
ego imposui iis, qui hoc judicant, ut credant sibi  
esse



esse factum satis: imposuerunt rursus iidem mihi, quasi eodem in opere sim ipsis iterum satisfaturus. Sic redit labor actus in orbem: atq; sua in se per vestigia volvitur annus. Sed erit tamen locus interdum, & si non ita saepe ad te.

Fam quid tu Mari? expectas dum te Romam accersam: certe nihil esset jucundius. Sed, ut adhuc res est, opto magis, quam spero. Utamur igitur beneficio temporis. Quid agit Farnesiana? incubuit ne in spongiam ad exemplum diuturni silentii mei? Si incepisti, perge: adjuvabit te frater tuus. Quis enim melius? Quod si gravatur ipse, suscipiam videlicet absens partes praesentis: nam qua ista modestia est tam affectata, M. Antoni, cum possis una opera duorum labori parcere? Si nondum incepisti, expecta recentiorum alteram, quam habui ante diem octavum de discrimine inter virum sapientem & indoctum: hac erit si non melior, certe longior: in ea te, quando ita placet fratri majori tuo, fortasse melius exercebis: si edetur, mittam ad vos unum eius exemplum. Interea amate me, ut facitis, & meo nomine salutem dicite amicis communibus; qui si accusabunt negligentiam in scribendo meam, erit quod me excusetis, sine ulla suspicione mendacii. Vale. Roma V.

Id. Nov. 1589.

FRAN-



FRANCISCUS BENCIUS,  
M. ANTONIO BONCIARIO

S. D.

**I**Ntellexi dudum, Bonciari, quàm multum va-  
leres in scribendo: nunc video vim admirabi-  
lem silentii tui, majorem penè quàm epistola cu-  
jusquam: nempe ad Epistolam plerumq<sub>3</sub> serius  
respondebã, ut viderer etiam excitandus: nunc  
taciturnitatem amplius non ferens, hasce mit-  
tendas literulas censui, indices desiderii mei: in-  
juriam facerem amicitia nostra, si dicerem, amo-  
ris: quem ortum a studiorum similitudine per-  
petuò servabo: nec de te aliter sentio: sed tamen  
id ipsum jucundum erit cognoscere ex tuis, quas  
avidè exspecto; simulq<sub>3</sub> de tua valetudine, &  
quid istic agas, scire cupio. Rescribe, te oro atq<sub>3</sub>  
obtestor, ac, si fieri potest, ne utere opera Marii  
nostri, quem etsi diligo quàm maximè, minus a-  
mo manum, signum lippitudinis tuae. Mitterem  
volumen orationum, & carminum, quod viris  
principibus diutius debere non potui: sed si qua  
fuerunt mihi exemplaria, qua sanè fuere quàm  
pauca, amici abstulerunt: & tibi satis erit in-  
spicere, quod nuper dedi ad Fulium à Ruvere,  
virum illustrissimum, nostriq<sub>3</sub> amantissimum:  
& verò mea omnia ejusmodi sunt, ut singuli eo-  
rum libri satis superq<sub>3</sub> sint singulis locis. Vale, &  
ne



*ne desiste me amare per amantem tui. Roma 3.  
Cal. Feb. 1591.*

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO,

S. D.

**A** Ccepi à te literas plenissimas humanitatis  
atq; amoris a. d. 15. Cal. Mart. quas tu 3.  
Cal. Februarii dederas: quibus poteram non re-  
spondere, si non ex iis intellgerem fore, ut ex silen-  
tio meo venires in aliquam suspicionem indi-  
gnam amore nostro, meaq; perpetua in te obser-  
vantia: poteram, inquam, non respondere, idq;  
impunè: quod Marius aberat, profectus haud  
ita ante ad nostram villam in Antriati, ut ibi se  
commodius reficeret ex recenti morbo, quo dies  
aliquot laboraverat, majore tamen cum meo  
metu, quam suo periculo. Ego verò licet corpo-  
re non tantum sano, quod ipsum perrarò mihi  
accidit, sed valido etiam ac robusto; oculis ta-  
men ita eram ex longo morbo debilitatis, ac pro-  
pè mortuis, ut familiares quamvis ex propin-  
quo non satis internossem. Fecit autem amor in te  
meus, & studium amovende suspicionis tue, ut  
quærerem, ac propè precario adducerem no-  
vum amanuensem, qui, quòd Grammaticòs  
canonas vix excessit, vereor ut tibi scribendo  
satisfaciat; mibi enim, cuicumodi est satisfac-  
faciat



fāciēt nō videnti. Reverso autem Mario, quem propediem expecto, tu quoq; à me expectes licet literas uberiores. Ergo in presentia satis habeam confirmare, id quod sēpē & literis & sermonibus testari soleo, non me ex vllis rebus humanis majorem voluptatem capere, quam quod ab te non vulgariter & me, & fratrem meum amari intelligo. De statu autem rerum mearum quod quæris, unum habes scire, quod quidam pro monstro habent, hac nova calamitate, quæ me à libris, id est, ab reliquo meo solatio alienavit; non me magnoperè esse commotum; & quod credibile non videatur, tantum abesse ut me tristitiæ ac mœrori dederim, ut etiam, Superis gratia, hilariter atque jucundè vivam. Tu velim mihi Christum Max. Clementissimum, ejusq; sanctissimam Matrem concilies, quod sanè potes: in primis autem vel morbi aliquam allevationem, quantum scilicet legendo scribendoq; satis sit, vel certe tantundem fortitudinis atque constantiæ mihi precare. Orationes & poëmata tua tam avidè ac vehementer expecto, ut una diecula, quam Ruverejus moram mittendi faciet, mihi anno longior videatur. Sexcenta sunt alia, quæ tecum a vco communicare, si mihi otium sit, & scribendi homo intelligentior. Sed plura, quam initio mihi fuit propositum. Sine modò redeat frater, egoq; in majus otium veniam: docebo te quid periculi sit laceffere hominem lip-  
pum,



pum, & propè cecum ad garriendum. Vale. Perusia 12. Cal. Mart. 1591.

M. ANT. BONCIARIUS, S. D.

LUCIO BALDELLIO

R O M A M.

**I**Rasceret tibi, Luci, & quererem, amicitia nostra insignem injuriam à te fieri, si non ea præter naturam præterq̃ spem in usum nostrum caderet. Quid? tu ne hominem tui studiosissimum tibiq̃ toto animo deditissimum, tanta opè, tantisq̃ machinis aggrediare? Quid verò ab illo cupiens? nimirum ut ad Bencium scribat: quã ego occasionem contra auro possim emere, nedum tibi rogandus videar, ut oblatam ne respuam. Fero autem eò levius contentionem & preces tuas, quòd Crispolto quoq̃ deprecatore usus, per bonam prabui mihi heri commoditatem fruendi hominis, & cum eo aliquot horas suavissimè traducendi: illud non fero, quòd me quasi pigrum in rescribendo admones officii mei. Ecquando autem aut tu, aut quisquam dedit ad me unam epistolam, quin continuo gravidam, ut ait Comicus, à me retulerit? Nam Bencius memoria est non planè bona, si hoc nomine de me queritur, qui si mecum velit paria facere, possim ei ostendere pro suis singulis ternas meas, aut non multò pauciores. Ad eas autem, quas ac-

cepti



cepi hebdomade superiore à Principe illustrissimo Julio de Ruvere, rescripsi statim, proximo videlicet comœatu: quamquam absente Mario, conducto ad scribendum inepto & imperito puero. Vides, qualem ille quoque causam habeat mecum expostulandi, & tarditatis urgenda mea. At non scripsi quicquam vertente anno, & longius feci intervallum, quam vel ratio amicitiae, vel tanti hominis aestimatio ferre videbatur. Quid? tu nescis, quam luctuosus ac propè funestus fuit mihi annus nonagesimus? O mi Luci, mi inquam Luci, jam eò mihi carior, quòd præter te aliam lucem non habeo, cum tu videres, & ille sciret, ad ceteras meas miserias tantum accessionis esse factum, potuisti per eà tempora officium literarum à me requirere? Nam illud mitto, quam multò dictem difficilius, quam scribebam. Neque tamen ausus sum tibi hodie non obsequi, ne cui nihil unquam petenti negaverim, hoc ei negem potissimum, quod ultrò debui offerre; & quo ego dato impensius gaudeam, non dato impensius doleam, quam tu. Vale, s. Cal. Mart. 1591.

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S. D.

**L**ucius Baldellius, qui has à te literas attulit, tanta mecum necessitudine conjunctus est,

**E** ut



ut non dubitem affirmare, eum à me præter ceteros unice unum diligi. Is magnoperè à me contendit, ut se tibi commendem, & idem tamen ad Marium meum scribit, venisse se ad te, atq; exceptum esse per liberaliter. Quod si est factum, quid ille a me velit, aut velle possit, non sanè intelligo: si enim jam vidisti hominem, Benci, & locutus cum illo es; periit omnis gratia commendationis meæ: neq; est aliquid, quod eo nomine acceptum mihi referri possit. Quanquam hujusce conjunctionis vestra ne ego quidem expertus videri debeo; qui quidem & cum Lucio multos habui de te sermones, eiq; tua scripta ostendi; & ante aliquot dies rogavi etiam per literas ut ad te adiret, & salutem tibi meo nomine nunciaret: quod tamen non neglexisse illum puto, optimè de te sentientem, sed districtum litibus & curis domesticis, distulisse. Rogo ergo te Benci, pro ea estimatione, quam mihi & sermones & literæ tuæ pepererunt, ut quicquid tua sponte erga Lucium facturum fueras, id videaris etiam meo rogatu facere. Plura non debeo de eo, quem tibi scio esse suo nomine commendatissimum. Brevis igitur à me habeto, tam fore hoc gratum mihi, quam illum tibi. Vale.

M. ANT.



M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S. D.

**C**ommodum obsignata epistola superiore,  
quam ad Baldellium eram missurus, ut ti-  
bi redderet; allatum est ad me Roma volumen  
alterum orationum M. Antonii Mureti, quæ  
videlicet à te sunt editæ: eas mihi puer meus  
anagnostes legit mea cum voluptate tantò mayo-  
re, quòd nonnullas ex Mureti ipsius ore meminì  
me audire, cum illi operam docenti darem. Mi-  
ratus autem sum, quòd in tuis ad me literis nul-  
lam de hoc libro mentionem feceris: eo mihi libi-  
tum est, hoc quasi multa loco tibi injungere, ut  
cum còmodissimum erit, perscribas ad me, num  
quæ deinceps habeam expectare Magistri mei  
monumenta? num epistolas? num Varias Le-  
ctiones auctas? num deniq; in Platonem & Ari-  
stotelem còmentarios? quos quidem audiè  
ego cum diceret, habere se institutos, in Ethicâ  
etiam perpolitos. Quin tu etiam si quid partu-  
rias, vel potius quicquid parturis (non enim ces-  
sare te putem posse, si velis, aut velle, licet fortas-  
se possis) etiam atq; etiam scire cupio. Qui si for-  
tè objicias, haud diu factum esse, cum partu le-  
vatus es, non te degenerare esse præpinguim co-  
lubarum, quæ vel singulis mensibus fœtum fun-  
dunt, nisi si aliquod suberit ἐπιόνια, cujus ma-  
tunitas jam appetat. Sed parco jocis, quos tu mi-



nimèjoculari die lecturus es, cum per impositos capiti cineres nostra nobis mortalitas objectatur. Quae verba, Benci, utinam mihi altè in pectus descendant: non erit, cur tantopere metruam caecitatem. Vale. Perusia, die penultimo Bacchanalium. 1591.

---

FRANCISCUS BENCIUS,  
M. ANTONIO BONCIARIO, S. D.

**O**Mi Bonciari, vix tibi persuadeas, quam exhilararint me literae tuae: absterferunt omnem nubem suspicionis: discussa iam est prior caligo, diluxit, patet Sol ille clarissimus tui erga me amoris, non sublatus quidem ille, sed qui diu se occultaverat in silentii tenebris mihi ingratis-  
simi: purgavit se triste illud caelum, à quo fulmina metuebam. Utinam latiora audissem de valetudine tuorum oculorum. Sed non uni omnia: preponderat acies ingenii: Et fuit aliquod mihi solatium equitas Et magnitudo animi Christiani, qua perferre te intelligo omnia, quae à Deo immittuntur. Verumtamen utere ope consilioque medicorum: parce interim lectioni, Et scriptio-  
ni, meditationi etiam Et auditioni rerum molestarum; quales, opinor, essent, si aurem anagnostae dare velles, ineptiae meae: etsi nulli magis displicent, quam ipsi mihi auctori. Tuum est, Bonciari humanissime, atque optime, res amici sua natura leves, sustentare pondere auctoritatis tuae:  
ne que-



ne quoniam magna es apud viros eruditos in  
opinionem acerrimi iudicii, & de meis rebus soles  
tam multa predicare, meq; tibi olim præter cete-  
ros amandum suscepisti, male iudicasse videre.  
Quod cum dico, nec dubito de tua constantia,  
& illam me in omni vita servaturum sanctissi-  
mè polliceor. Hæc effudi statim uno impetu, re-  
centi adhuc lætitia, plecta sæpius epistola tua:  
plenius scribam, cum deferbuerit, & abste alias,  
quod tuo commodo fiat, uti promittis, accepero.  
Vale, & Mario ex me plurimam. Roma 6. Cal.  
Mart. 1594.

---

FRANCISCUS BENCIUS  
M. ANTONIO BONCIARIO,

Quam per Baldellium tuum ad me dedisti  
epistolam, vix aspexi: eodem enim tempo-  
ris puncto attulit abstulitq;, cum orasset, ut eam  
commodarem sibi legendam, neq; adhuc reddi-  
dit: quam timeo ne quid secus acciderit, vel a  
lumno discipline tue, vel epistolæ meæ: nec re-  
scripsi citius, quod ad me redituram tamen arbi-  
trabar. Deceptus sum, at non decipiam expecta-  
tionem tuam, in his præcipue, quæ de Mureto  
queris. Exiit orationum ejus volumen secun-  
dum, sequentur epistolæ aliquot, & quatuor libri  
Variarum. Alia quadam affecta ab illo habe-  
mus, non confecta: & meministi Veneris Apel-  
lea: nemo quidem meam requiret voluntatem in



excudendis foetibus divini illius ingenii: sed uti-  
nam viveret Pater, & ego essem opera minus oc-  
cupata. Hæc de Mureto. Quid tu? inquires. Bre-  
vi mittam Philotimum (si aliquid de eo inaudi-  
sti) ἀυτάδελφον Ergasti. Tu vide huic quoque,  
amicorum more, defensionem pares: hoc si reci-  
pis, accipies & aliud fortasse, cui incubamus.  
Preterea nescio an quidquam in multos menses:  
ita mihi displiceo, credo etiam tibi, nisi imponat  
amor, quem quæso mihi conserva, & quacunq;  
potes ope, recupera valetudinem oculorum: verè  
dico, ita sum percussus hoc nuncio accepto, ut a-  
vertere ab eo cogitationem non possim: at tu fers  
nō iniquè, aut potius fortiter. Hoc magis extollē-  
da magnitudo animi tui, & infirmitas corporis  
sublevanda, cui tu Bonciari optime, omni ratio-  
ne subveni, omnemq; prudentiam & temperan-  
tiam tuam, diligentiam omnem medicorum,  
amicorum omnium, quibus abundas, benevolen-  
tiam, in eam curam confer ut convalescas. Etiam  
vale, 4. Cal. April. 1591.

---

M. ANTON. BONCIARIUS,  
P. FRANCISCO BENCIO, S.

QUo dulciores tuæ literæ, & humanitatis at-  
que officii pleniores, eò sum ego brevior atq;  
horridior in rescribendo. Comparo me, si quæris,  
ad rusticandum, atq; Urbem in dies aliquot re-  
linquendam, haud ego quia solitudinem aut vil-  
lam



lam sequar: non iis utor oculis, qui pratorum  
 amœnitate: aut viridium adspectu collium ob-  
 lectari & capi queant, sed quia medicus ita sua-  
 det, ut cum me ruri paulum recrearo, aliud  
 quoddam genus curationis aggrediamur, & de-  
 scendamus ad extrema remedia; quibus adhi-  
 bitis, aut relever, aut certè spem omnem abji-  
 ciam valetudinis recuperanda. Mihi haud pau-  
 lo plus in divino auxilio spei erat, quam in pur-  
 gationibus aut pharmacis medicorum. De Mu-  
 reto nimium quantum te amo. Sed heus tu, seor-  
 sim ne istos libros, an cum reliquis antè editis?  
 Priorum namq; tanta penuria est, tantaq; pau-  
 citas exemplarium, ut altera editio incredibilem  
 in modum efflagitetur. Ad hæc scito penes nos es-  
 se unam epistolam, quam vereor ut tu habeas,  
 scriptam septennio ante uni ex meis auditoribus  
 Io. Baptista Dionysio, cuius frater natu grandior  
 erat Mureto per familiaris: eam ad te mittam,  
 si voles, ut cum reliquis edendam cures. Erat  
 etiam schedula quedam ad me, sed pusilla, & ex  
 tempore data, quam non mitto. Fac valeas. Ego  
 me in viam do: utinam hæc nobis curatio bene  
 vertat. O si mecum iret Philotimus: cuius inte-  
 rim ut expectatione torquebor, ita spe recrea-  
 bor. Vale iterum. Perusia. Non.

April. 1591.

E 4

FRAN-



FRANCISCUS BENCIUS,  
M. ANTONIO BONCIARIO,

- S. P. D.

**P**Ut abam te adhuc ruri esse: iccirco non rescripsi: rescribo nunc, cum te audiui in urbem rediisse: sed breviter, quod utriq<sup>3</sup> erit commodius, mihi occupato, tibi ex oculis laboranti. Mitterem Philotimum, & novam orationem, quam scripsi, si cui dare minimo incommodo possem: neq<sup>3</sup> enim cuiquam volo plus afferre impensa, quam voluptatis: ubi erit, cui dem recte, non committam, ut expectes diutius promissum meum, hoc primum. Si epistolam Mureti miseris, augebit numerum: hoc libentius, si in ea aliquid, quod ad te, vel de te: tuam utiq<sup>3</sup> mittas censeo: non supprimas. Quando autem liber divulgabitur? nondum habemus constitutum, sed spero brevi. Cupio scire, ecquid profuerit rusticatio valetudini tue: vix credas quam sim de ea sollicitus: quicquid fuit, fac queso ut sciam. Rumor est istic grassari morbum: sed non est quod in videatis cœlo Romano. Hic quoq<sup>3</sup> Mistasenum, ac juvenum densantur funera. Sed tandem quid homines sumus? & nobis aliquando, mi Bonciari, moriendum est: quantulum interest hoc anno, an alio? Bene cum illo actum erit, quem mors quandocunq<sup>3</sup> venerit, non invenit imparatum. Valetudinem tuam cura diligenti-



*ligenter, & saluta communes amicos. Romæ, 9.  
Cal. Jun. 1591.*

MARIUS BONCIARIUS  
FRANCISCO BENCIO, S.

**Q**uia cras frater habiturus est laudationem inter exequias Illustrissima Principis Laure Cornea; iccirco jussit me ad tuas litteras rescribere, unaq; mittere Mureti epistolam ad Dionysium: haud sanè quia ipse respondendi laborem subterfugere velit: scribet enim propediem, teq; de sua valetudine certiore faciet; ut te cupere, ex tuis literis intellexit. A me scito hoc unum, non esse apud nos ullum omnium, qui securiorem inter tot funera vitam traducat. Ego mihi timui male, & ad hanc diem haud omnino bellè me habui: ille semper bellissime: oculorum tamen curationem aggressus non est in tanta medicorum occupatione: fortassis etiam, ut nunc se res habent, bene secum agi putat: quod multis valentibus & robustis superstes est invalidus, imbecillus. Orationem & fabulam, à te proximè divulgatam, non facile dici potest, quanto perè expetam: itaq; negotium dabo alicui ex nostris amicis, qui istic sunt, ut à te auferat, transmittatq; ad nos. Plura ne scribam, impedit frater, cui subinde necesse habeo lectitare orationem. Valetudinem tuam diligenter cura. *Perusia, 3. Cal. Junii 1591.*

E S

M. ANT.



M. ANTONIUS MURETUS  
IO. BAPTISTÆ DIONYSIO, S.

**E**T fratris tui, quem jam pridem non videram, adspectus ipse per se mihi gratus ac jucundus fuit; & eum literæ tuæ multò jucundiores reddiderunt, ex quibus planè perspexi, & mirificam elegantiam ingenii tui, & singularem quendam amorem erga me tuum. Ego verò te non tantùm, ut petis, libenter adscribam ad numerum eorum, quos amo, & quorum causa omnia cupio: verùm etiam molestè feram, nisi tu quoq; si quos fructus ex amicitia mea posse percipi putas, eos à me omnes tu jure liberè & familiariter exegeris. N-que nunc quidem aliud ullum scribendi argumentum habeo, neque temporis satis: Et tu à me hoc tempore nihil aliud visus es, quàm amicitie nostræ quandam quasi cautionem ac chirographum postulare. Habes igitur, quod petebas, Muretum planè tuum. Tu quoq; perstain ea voluntate, quam erga me suscepisti, & ad me, cùm commodum erit, scribe. Ego ad te propediem scriptorum meorum aliquid mittam. Saluta mihi Gibertum Oddum veterem amicum meum, sed cui effluxisse me jam puto: ita mutus factus est, qui me amicissimè scriptis literis crebrò reficere solebat.

Vale Roma, 1580.

Amo



*Amo Antonium auditorem antea meum, praeceptorem nunc tuum: ejus epigrammata quae accepi, bona sunt: libenter legi, leviter castigavi, eidem reddidi, qui attulerat.*

---

M. ANTONIUS MURETUS,  
ANTONIO BONCIARIO, S.

**A**ccepi à Parisiolo crusta saccharea Perusina longè suavissima, & cum illis unà tuum de fabis carmen, palato quidem meo longè suavius. Itaq; Dionysio de illis ago gratias maximas; tibi de hoc (ut Plautus noster loquitur) magis majores. Ligurio primam syllabam correptam habet, item secundam, ut Esurio, Parturio, & cetera generis ejusdem. Flaccus tamen producit lib. 2. Sermonum Sat. 2.

————— puer unctis  
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit.

*Quod viri eruditi scribendum putant per geminum rr, ut olim docui in meis ad Terentium scholiis. In sententia quid reprehendam, non habeo; quae laudem, multa, & illud maxime, quod non solum jucundè, sed etiam argutè concluditur: nam ea demum ejusce carminis venus est, si cauda feriat, & relinquat aculeum. Vale. Roma.*

FRAN



---

FRANCISCUS BENCIUS  
MARIO BONCIARIO, S.

**A**gnosco, Mari, diligentiam tuam, qui iussus mittere unas literas, mittis quaternas, amo te de singulis: eadem vero nunc quidem duas. Sed heus tu, quid mihi istud tam bellum, tam lepidum epistolium inuidebat frater? nihil enim de illo scribit: fortasse ne cogeretur, & suum dare, quod prior misit cum epigrammate. Philotimum & orationem dedi ei, qui literas à te attulit. Morbus hic quidem remittit; apud vos dicitur incrudescere. Ergo te cura & fratrem, à quo litteras expecto quò tardiores, hoc longiores. Valet, & me mutuo amate. Romæ 7. Idus Iunii 1591.

---

M. ANTON. BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S. D.

**S**i vivis, bene est: ego quidem vivo. Vixisse autem me, veritus sum, ne tu ideò suspicarerere, quòd jam diu nihil streperem homo nescius quiescendi; & me, contra quàm solet fieri, silentium ipsum proderet: ea me suspicio impulit, ut hoc mitterem litterarum, quo me vivum esse testarer. Sed dicon' tibi an non? pudet me tui meiq; propter ea, quæ scripsi literis superioribus: nec te tamen celare debui, majoris etiam meæ culpæ conscium. Ego ille stolidus atq; inanis jaçtator,  
qui



qui me Parcis eximium putavi fore, & hujus  
 mali labem nihilò plus ad me, quam ad non na-  
 tum quempiam attinere; vah quibus modis  
 multatus sum, & quale ob ineptias, & magnifica  
 mea verba pretium tuli! Duram, ab duram Ne-  
 mesim, quæ meam arrogantiam repressit adeò  
 fortiter, adeòq; (ut sic dicam) immisericorditer!  
 Quantulum verò abfui, Benci, ne transducerer  
 ego quoq; ad plures! & quidem eò miserius, quòd  
 qui quotidie moriuntur, ii negant sentire sese,  
 quemadmodum conficiantur, atq; esse desinant:  
 ego cum incredibilem cruciatu trahebam ani-  
 mam: et pœnè furvæ regna Proserpina, et ju-  
 dicantem vidimus Eacum. Quæ loca fœda, te-  
 nebricosa, opinor, ideo mihi non valde horribi-  
 lia visa esse, quòd pridem in tenebris versari cœ-  
 peram. Inde prorsus divina benignitate factum  
 est, ut regrederer gressum, neq; pergerem ultra  
 ire. Viginti ipsos dies in magno tormento jacui,  
 neq; dum planè surrexisse me audeo dicere,  
 quam diu dextero brachio, quo vis morbi erupit,  
 nequeo uti, sed collo suspensum fero, haud longius  
 tamen, quam à lectulo ad suggestum. Quo qui-  
 dem ex tanto incommodo vide, quid eruam in  
 presens boni nactus sum optimam rationē conso-  
 landi de mea cecitate amicos, atq; cognatos, in  
 primis verò Parentem & fratres meos: quos cum  
 video nimium de me sollicitos, & impensius do-  
 lentes hunc meum (ut illi vocant) cumulum mi-  
 seria-



seriarum; ita jubeo cogitare: cum aequales mei  
 tam multi occidant, non infeliciter mecum esse  
 actum, si vivo: potissimum enim haec lues tetigit  
 mediae aetatis homines, trisennio vel quadriennio,  
 majores triceniariis: Censete inquam, atque habe-  
 te cum animo, me ex iis unum futurum fuisse,  
 quos morbus rapuit, & singulari atque precipuo  
 beneficio Dei vivere: Num vobis dolendum vi-  
 deatur, si quis capite damnatus ob sua scelera,  
 Praetoris misericordia leviori supplicio redem-  
 pta morte, vel impellendis triremibus, vel operi  
 faciundo, agendove pistrino addictus vivat ta-  
 men? Putate tale quippiam mihi quoque evenire,  
 quem pro sua clementia sospitem Deus fecerit,  
 atque ab Orco reduxerit non ad molam neque ad  
 remum (quod tamen vitae genus ut in tali re ne-  
 gligendum non est) sed ut quasi in libera custo-  
 dia detentus, mihi meisque viverem, nec inutilis  
 nec injucundus. Neque vero, quod quidam pu-  
 tant, hic ego aut acerbam, aut omnis expertam  
 consolationis & voluptatis vitam duco. Sed ju-  
 vat me praeter cetera, quae non attingo, praesentis  
 vitae oblectamenta, quod fruor consuetudine atque  
 convictu hominum literatorum, a quibus ita  
 sentio me amari, ut raro uni unus carior fue-  
 rit quam ego esse videor universis. Praeter-  
 quam quod alibi quoque habeo insignes viros mei  
 peramantes: quo tu in numero & dignitate, &  
 amore erga me, praestas Benci, qui mihi esse unus  
 potes

poies



potes pro centum millibus. Illud verò quanti esse apud me debet, quod mihi etiam licere video, in vinea Domini quaecumq; opus facere, & pro meo modulo juvare nobilem juventutem? His rationibus à me repressi, & castigati Parentes atq; affines mei jam aequiore animo meum casum ferunt, & mihi totos dies ineptè flēdo, aut ineptius consolando, molesti esse destiterunt. Vale, Perus. 17. Cal. Sept. quem diem B. Rocho dicatum malo coacta civitas celebrat persanctè.

---

M. ANTON. BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S. D.

**V**erberavi te superioribus diebus epistola, verbosiore ne dicam, an morbosiore? quam tu si sapias, nec leges ipse, neq; ostendes cuiquam: potius si me audis, conscindito & comburito. Purgabis aptè utramq; maculam, pestem igne, silentio dicacitatem. Ast ego interea triumpho bonus mercator, qui pro illis nugis, atq; crepundiis puerilibus, has contra à te accepi gemmas atq; uniones pretiosissimos: quo. n. alio nomine appellem, quæ per tuam fabulam interspersa emicant passim, quasq; Grex tuus loquitur venustissimas omnis generis sententiolas? Jam quid est aliud, si non hoc est, Aurea pro aneis? græcè hoc melius: tu si voles, interpretabere: mihi non licuit absente meo amanuensi. Hic tu garrulorum morè videas licet: quantula res à proposito me abduxerit  
nisi



nisi caverō? Ad summam, Benci, capiunt me mirabiliter illa tua lepidè, argutè, sapienter dicta: quorum tu meo iudicio fingendorum & netendorum rarus artifex: id ego & in Ergasto jam antea fueram admiratus. Quis enim non miretur, qua etate ceterorum liberi vix dari incipiunt, tuos ita sapere, ut de vita instituenda nobis precipiant? Sed video quam sim ineptus, qui unum aliquod in magna copia tollam laudibus, neq; taceam de omnibus, quando & pro suo merito, & pro mea imbecillitate non possum omnia. Hac aliena manu: Marianam enim meam esse duco. Sed eum dimiseram ad facienda justa, complorandosq; de nostris aliquot recens mortuos: nam me quidem cecum, chiragricum, podagricum, adde, quod isti volunt, non semel mortuum, & me tamen meaq; solitum ridere, non par erat lugere alios. Tu etiam atq; etiam vive. Vale, & nos ama, quod facis. Perusia.

---

FRANCISCUS BENCIUS  
M. ANTONIO BONCIARIO, S. D.

**M**E miserum, qui dum premor tot negotiis, ut opprimar; diuturno silentio, quo utor adversum amicos, effugere non possum suspitionem superbiae, aut certe negligentiae reprehensionem. Itane? tres tuae me epistola, & illa quidem plena atq; uberes antea oppresserint, quam ego ad te literam. Sed accusa, Bonciari optime, majorem



jorem illam, diuq̄ mihi cognitam humanitatem tuam, quæ me peccare docuisti. Severior fuisses, habuisses officii magis colentem: nosti tamē amicitiam naturam, & eam tibi ferendam esse arbitrare: equidem gratulor & gratias ago. Pollicerer post-hac majorem diligentiam; sed grave est imperium consuetudinis: conabor tamen, ut minor sit causa accusandi. At tu, si scires, quanto mihi opere jucunda sint litteræ tuæ; quam ut ad me frequenter scriberes, nihil faceres libentius. Vel priores illæ, quibus Perusinam calamitatem ponis ante oculos, quam elegantes fuere ac disertæ, quam suaves etiam in re tristi. Neq̄ hoc dico de meo sensu, ne videlicet tuum illud usurpes, me tribuere nimis multum amori, sed de multorum judicio, auctoritate & existimatione præstantium, quibus ostendi. Amo tam felicem facultatem scribendi tuam, & ingenii abundantiam: utinam esses valetudine firmiore. Quam enim putas, me hesternò die ingemuisse, lectis secundis tuis, accessisse ad istam virium imbecillitatem recentem morbum, & bonam partem latinæ linguæ (tam magnis videlicet hoc anno destitutam adminiculis) periclitatam in tuo corpore? bene tu, quòd eodem tempore fecisti, ut intelligerem tibi melius esse: quamquam gratum quoque fuisset si de priori statu antea cognossem. Adhibuissim & meas, & aliorum preces ad te in vita retinendum. Sed occupavit Deus vota multorum:

F

neq̄



neque minus ob eam causam grates illi agenda: nam quod te magno erectoq; pectore esse affirmas, & contemptorem mortis; noli querere, ut me variè afficiat. Lator, talem te esse, rerumq; humanarum ita despicientem: agnosco in verbis tuis sapientiam pœnè Socraticam, sed est tibi amicorum ratio habenda, ne plus te, quam ipsos videre dilexisse. Conserva te nobis, conserva te tuis, conserva te Perusina juventuti. Adderem alia, sed novi moderationem animi tui. Quid Mario esset nostro, si te fratrem, patrem, magistrum suum desideraret? Laudo te quidem, & admitto talia sentientem, sed malim audire vivere te, quam vixisse, quod melius esse judicaverit Deus: id quod ut perquam diu audiam, eum veneror precorq;. Interea exolve te omnibus curis, illud primum propriè enixèq; contendens, ut animi integritate, & innocentia vite placeas ipsi Deo, deinde ut mentem quietam tueare etiam in fluctibus adversis, postremum & mea & amicorum omnium causa, ut perpetuam latitiam, quæ est propria sapientis viri, & eam, quæ maximè esse potest in isto corpusculo, ut audio, ita affecto, valetudinem conserves. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Sed heus tu, nostis, me superiori mense accepisse à Lipsio literas, quibus, jam a Deo in meliore luce collocatus, participem me facit latitia sua? mitterem exemplum literarum, sed careo Mario, & sum  
 incre-



*incredibiliter distentus. Incipiet mihi non displicere Philotimus meus, si tam tibi, quam scribis, placet. Vale, Romæ 7. Cal. Septemb. 1591.*

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO,

S. D.

**N**arro tibi, agimus tuam fabulam, tuum dico Philotimum. Dices, Ubi? Nempe in ludo, quandiu quidem hæc lues manet manatq;: lectitamus, ediscimus; nec est aliud in quo libentius & facilius hanc molestiam temporum deponamus. Quod si qua ejus mali quies veniat; scenam quoq; & populum cogitamus: id nos scilicet confidimus fore brevi, quanquam nos medici territant & minantur nullam, nisi graviore anni tempore circumacto, spem salutis ostendi; opinor idem ut sit & nostræ cladis exitus, & principium sua. Quod ne ego quidem nego, si illorum opera uti pergimus; contra si explodimus, & quo nos adigunt, eo præire ipsos jubemus. Sed muto jocos, & ago, quam cœpirem seriā, imò fabulam, de qua non faciam, ut in quo ego nihil promerui, id mihi gratia apponi postulem: hoc enim habes scire, non mihi primum venisse in mentem de agendo, sed meos auditores cœpisse ultrò a me contendere, nec rogare desisse usque adeò, donec pervicerunt, ut ad te scriberem, peteremq; ut tua voluntate id facere no-

F 2

bis



bis liceat. Mihi, dicam liberè, satis erat si per  
 otium exponeremus, illis autem non satis. Quid  
 facerem? negare aut prohibere tam ego non de-  
 bui, quam tu non potes. Illud me magis movet,  
 quod & illi admodum pueri sunt, & ego hujus  
 generis imperitus, atq; insolens pramonstrandi.  
 At enim quò frigidius facient, hoc facturi su-  
 mus theatro infrequentiore: non adhibebimus  
 præter domesticos quemquam. Sed velim, Ro-  
 mani isti Typographi pluscula exēplaria trans-  
 mittant ad nos: recipio ego nostris librariis, eo  
 nomine quicquid impenderint, id & quæstuo-  
 sum sibi nec otiosum diu futurum: nos uni sex  
 septem, alii plura; ducenta berclesi sint, brevi  
 non unum reliquum fore putem, quod quasi in-  
 dex proftet. De festo Lipsio non queo tantum,  
 quantum gaudeo, scribere: dignus est, cui con-  
 tingant ex voto omnia. Sed quid illi proximè  
 evenerit boni, cupio planius ex ipsius ad te lite-  
 ris cognoscere, quas mihi mittas omninò velim,  
 & quidem si potes, proximo comœatu. Nam  
 quid illud obsecro est, quod Mario careas? sanè  
 ego cum ille abest, pro uno Mario sexcentos ha-  
 beo quibus si modo suboleat, me ad Bencium  
 velle aliquid, certatim operam suam pollicen-  
 tur, una mercede contenti, ut iis copiam fa-  
 ssum exscribendi uas. Vale. Perusia.

Idibus Sept.

FRAN-



FRANCISCUS BENCIUS  
M. ANTONIO BONCIARIO,

S. D.

**M**itto exemplum Lipsiana epistola descri-  
ptum mea manu, ne me nimium multis  
amanuensibus abundare, aut quidquam tibi pe-  
tenti denegare existimes: quod tibi gratius esse  
debet, vel ex ipso tempore: nunc enim, ut ne sis  
nescius gravedo quadam capitis, molesta, opinor,  
magis quam periculosa ita me opprimit, ut fere  
suscipere non possim gravem aliquam cogitatio-  
nem: eade de causa non conveni Typographum:  
Et si opportunius videbatur, ut vel tu iste Bi-  
bliopola ipse scriberet, vel tu per alium fortasse  
per Baldellium, ageres. Haud facile tibi perua-  
deas quam sim ego, si quid accidit ejusmodi, pa-  
rum auctuosus: praesertim ubi est aliquid non a  
me, vel a meis rebus sejunctum. Narro tibi, quic-  
quid ego ipse possum facere causa amicorum, non  
praetermitto, ubi est ad aliorum operam confu-  
giendum, malo carere, quam non dico rogare,  
sed alicui molestus esse. Quicquid autem Phi-  
lotimo meo facies, oro optoq; illud tibi ac tuis,  
quos meo nomine salutes velim, bene, ac feliciter  
evenire. Quam vellem istuc afferretur Vene-  
tiis novum quoddam meum opus distinctum sex  
libris carmine heroico: fieri non posset, quin, qui  
istic sunt amicis nostris, tua praesertim commen-

F 3

datio-



*datione, non omnino improbaretur. Mirificus enim es tu laudator nugarum mearum: & jam diu statui, si quid vendibile esse cupiam tibi preconium deferre. Vale, Bonciari optime, & me ama: hoc utroq; mihi gratius facere nihil potes. Roma, pervigilio S. Matthaei. 1589.*

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO,

S. D.

**P**ompejus Danzetta, is à quo haec litterae tibi reddentur, non modo inter auditores meos obtinet principem locum, quod est ingenii & eruditionis; sed etiam praeter ceteros à me diligitur, quod est officii atque humanitatis. Ei verò cum commendatitias litteras debeam, nihil peto amplius, quam ut ad tuum colloquium intro-mittas: cetera video sua sponte casura ex sententia. Enimverò ego, si sciperem, Benci, ac meam mallem, quam amici causam agere, non debui hominem à me dimittere, praesertim ad te, tantum abest ut ultrò impellerem, quod crebrò atq; instanter feci: erat enim facile videre, cum è vestris fontibus haurire inciperet, fore ut nostros rivulos aversaretur, seseq; graviter increparet, quod in nostra ariditate ullam ingenii sui spem posuerit. Fortassis etiam succensebit mihi, quòd liquidos atq; uberes fontes non antea commonstraverim. Sed ego eam jacturam parvi aestimo:

amico



amico consultum volo, quem pro sua magnitudine animi non sæpius recordaturum arbitror, quod se paulò serius in viam introduxerim; quàm quod demum introduxerim, gratias acturum. Vos verò Magistros nobiles debere mihi aliquid par est, quòd rudes pæros, à me leviter informatos, istuc transmittam ad vestram litteram. Ac quia indoles Auditoris mei longior commendationem non desiderat; egoq; cum semel cœpi, temperare mihi non possum, quin totas expleam paginas: obsecro te, quid Mureti Epistola? quid Variarum libri recens additi? torquet nos utrorumque mira expectatio. Jam quid ego aliud volui dicere? Quid? amo te de Lipsiana epistola, atq; ut illud quasi exilium hominis ægerrimè tuleram; ita delectat reditus, & gratia reconciliata. Marius nihil mihi libentius legit, quàm ipsius epistolas: meus verò etiam animus, non modò venter, aliena ope nititur, & sæpe nò quo ipse vellet, sed quo alius jubet, cibo alitur: & alioqui Lipsianis epulis jucundè vescimur. Proximè hausimus primã cæturiã: altera nusquam gentium à me inventa. Dudum suboluit, esse apud te unum exemplar, quod puto, Lipsius miserit, de illo velim mihi accommodes ad dies paucos. Danzetta rectè dabis ad me perferendum. Ego referam eadem via. Vale,

17. Cal. Ian.

F 4

FRAN-



FRANCISCUS BENCIUS  
M. ANTONIO BONCIARIO

S u o , S .

**M**Emini abs te mihi commendari nonnullos: sed omnes propè ex condicito, ubi vix semel me salutarunt, quasi & multam salutem dixerint, agunt alia omnia. Sic avium pulli, plerumque ubi evolandi potestas fuit, veterem nidum, ubi ceperunt mansa ore hianti, ac si majores jam explicarint pennas, quam ut eo capi possint, contemnunt. Oblitus eram aliorum: sed Pompejus tuus refricavit memoriam: quæ tamen mihi non stomachum facit, sed excitat risum. Longè illud gravius, quòd non licet mittere epistolas Lipsii: quas, ne si Roma quidem esses, possem commodare, vel ad dieculam, extra Collegium exportandas. An te fugiebat ubi essem? ademptam religioso homini, qui sui regendi potestatem, & quasi habenas tradidit aliis, facultatē omnium rerum? Nec verò à Lipsio, quod putas, accepi: sed emit noster bibliothecarius, ut cupiditati mee satisfaceret pretio, si molem libelli inspicias, permagno: quo æquior sum tibi. Sed si alia exemplaria Romam venerint, quantum in me erit, unum ex illis curabo tibi seponendum, & in tempore admonebo: nam tu quoq;, ut ex tuis animadverti, es de genere Brutino: quicquid vis, valde vis. Quorsum enim illa tam gravis postulatio,

Stulatio,



stulatio, & expostulatio de rebus Mureti? tu vero ita agis, ac si essent sub prelo: at ne sunt quidem descripta, ut tradantur: sed urgebo. Tu interea, mi Bonciari, me amare perge: nescis quam id cupiam ex animo, gaudeamq; ita esse? & ubi erit otium scribe, mirum enim quantum delector epistolis tuis: sed hac conditione (nosti enim inter nos jam ita convenisse) ut rescribam, cum velim, id est cum possim. Sic enim habeo, me nunquam nolle cum possim. Vale, Roma 15. Cal. Februar. 1592.

MARIUS BONCIARIUS  
POMPEIO DANZETTÆ, S. D.

R O M A M.

**M**andatum tuum haud dum curare mihi licuit: nam quò breviores per hæc anni tempora dies sunt, hoc ego pluribus occupationibus distringor. Schola ipsa nullum ferè spatium respirandi dat: & id ipsum quod dat, in eam diei partem incurrit, ut illum compactorem librarium in sua officina numquam reperiam. Ergo cogor negotiola mea omnia (nam & tua nihilo minus mea esse duco) in diem nobis reficiendis destinatum reservare. Ad hanc ipsam exarandam schedulam vix satis otii fuit: ceriè ad plenioram epistolam non fuisset. Cras tamen spero de te transigere, quod propter sacrosancti Natalis per vigiliam vacuus mihi à laboribus dies

F s ibit;



ibit; nisi si una meres obsessum domi habebit, nostrorum munera discipulorum, adlectis proximè in Collegium magnis comitibus, & pueris eximia nobilitatis. Cupio cognoscere felicem adventum istuc tuum; num Bencium adhuc conueneris, aut Stephonium, ecquam deniq; studiorum tuorum rationem inieris? Plura non licet. Festos dies tibi felices precor. Vale. Perusia.

M. ANTON. BONCIARIUS  
POMPEJO DANZETTÆ, S. D.

ROMA.

Visus es vereri, ne minus compta & latine nobis tua littera viderentur. Eoq; cavestibi per Aristotelem, seu per eos potius, qui Aristotelem haud omninò bene latine docent (huius quantula rei quantos patronos) quibuscum unis tibi colloqui & versari liceat, politiorum consuetudine interdicta. Sed tua frustra suspicio est: & ne littera βαρβαριῶσιν id tu vereris scilicet: littera non verentur: quae se non ex havis aut sordibus philosophantium, sed è scriniis atq; arculis Tullianis prodiisse declarant: seseq; ab ista suspicione facile vindicant. Quo circa gratulari tibi potius debeo, quòd in tanta fece interpretum latinorum potueris latinam tuam suavitatem & colorem retinere. Perge modò ad istud exemplum scribere: non est periculum, ne tu cuiquam etiam de politissimis rudis aut barbarus

barus



barus videare. Marius jam diu tuum negotium absolvit cum Melchiore glutinatore: accepti & expensi ratio ferè congruebat: planè nihil fuit negotii rem conficere, nomenq; delere. Convictores olim tui te humanissimè resalutant. Ego Bencium volo a me salvere, volo inquam, salutes hominem meis verbis: neq; ut fecisse te audio, multam ei salutem dixeris, quod & ille in suis ad me litteris non nihil queri videtur, & ego mirari non possum satis. O mi Danzetta, si foret mihi copia virorum talium, ac mitto ceteros, unum Bencium si semel complecti liceret: ille ipse, qui unus omnia mihi potest persuadere, illud scio nunquam persuaderet, ut se dimitterem. Interea fruor eo per litteras, fruor etiam, ut spero, ejus egregio poemate, quod expecto Venetiis: quæ causa mihi hodie ad eum non scribendi fuit. Vale, & in tua præclara studia perge incumbere. Perusia, Prid. Non. Mart. 1592.

---

M. ANTON. BONCIARIUS  
ALEXANDRO BONTEMPIO,  
S. D. ROMÆ.

**E**X tuis litteris egi gratias Illustrissimo Principi Octavio Aquaviva, itē Julio Gualterio, amico tuo: neutri accuratè vel exquisitè, sed planè rusticè, id est, verè penitus & ex animo, licet horidè, licet incultè. Tibi verò tantum abest ut  
quic-



quicquam debeam, quod ista iam ampla de me  
 predicas, ut pro meo erga te studio querar etiam  
 aliquantulum, quod mihi tua predicatio ma-  
 gnam injicit curam, ne aliquid atq; adeo mul-  
 tum imperitiamea de testimonio tuo detrahat.  
 Verum ista tu videris. Ego prestabo id tantu-  
 lum, quod potero. Si quid tu ultra eris pollicitus,  
 largiere de tuo scilicet, & poenam lues humani-  
 tatis, pro qua par fuerat premium expectare.  
 Utinam Principum amicitias qua tu mihi fa-  
 cilitate concilias, eadem ego felicitate retineam:  
 cupio sanè tua potius, quam mea causa. Magis  
 enim sum pro tua fide, quam pro mea laude sol-  
 licitus. Vale. Perusia ex Seminario.

Exemplum literarum, quas repetis, ablatas  
 tibi a P. Francisco Bencio, jussi Marium infra  
 scribere. Ama nos, ut facis.

---

 E I D E M.

Sonum illum adulationis, & ejulatus, quem  
 feles edunt, quaris ex me per puerum Meni-  
 sonium, auditorem meum, quo modo Latini ve-  
 teres nominarint. Quid si autem non nomina-  
 runt? & est hoc etiam de numero eorum, quibus  
 proprium nomen deest? Neque enim necessario  
 concluditur, quod scribis, quia multarum pecu-  
 dum propria voces à latinis expresse sint, ut mu-  
 gitus bovum, rugitus leonum, latratus canum;  
 adeo expresse fuisse omnium. Legisse te illam ar-  
 bitror



bitror incerti scriptoris Elegiam, que habetur inter Ovidianas de voce avium & quadrupedum: quam ego cum religerim per hujusmodi occasionem, & prope pro certo haberem me inter illa tam multa pecudum & volucrum idioma- ta gallorum, gallinarum, anserum, vulpium, murium, felinam quoque vocem esse auditurum: plane deceptus sum: unus ex domesticis animantibus felis aberat, quem petebam. Nec est quod miremur: si felinus ille vagitus apud Etruscos proprium vocabulum sortitus est, apud Latinos autem non est. Quam multa enim, & quam varia sunt in quibus Etruscos Latini superant? illi dicunt cucurrere gallum, trutilare turdum, pisitare sturnum, gratitare anserem, drensare cycum, pipare accipitrem, lipire milvium, crocitare corvum, frigulare graculum, pipire passerem, cuculare cuculum, fritinire cicadam, bom- bilare apes, zinzilulare regulum & prognem, qua si nostrate lingua velis exprimere, sudan- dum erit diu: atque haud scio, an nihil inventu- ri simus, praeter communes illas canendi, strependi, stridendi appellationes. Taceo de vocibus qua- drupedum, de vocabulis magistratum, de no- minibus herbarum, lapidum, metallorum; in quibus singulis tam nos Latini vincunt, quam ipsi a Grecis vincuntur. Non est igitur miran- dum, quod in summa sermonis paupertate unam habemus voculam, qua illi careant. Quid si au-



tem non careant? me certè iuvat opinari, ne hanc quidem illis defuisse, licet fortasse a nemine missa fuerit in litteras, propterea quòd cum ejusmodi voces facere ipsi, & fingere soleamus per Onomatopœjam, sicut Aristophanes latratum canis exprimit per diphthongum, àv àv, ex quo Grammatici colligunt, ypsilon ut u, non ut f, esse pronuntiandum: ad hæc si Lucillius apud Nonium non veretur dicere Bau bau, ex quo Lucretius fecit baubari verbum in illis versibus:

Longè alio pacto gannitu vocis adulant,  
Aut quum deserti baubantur in ædibus, aut cum  
Plorantes fugiunt submisso corpore plagas:

ita potuerunt Latini veteres, & nos possumus nihilo minus, ut ego arbitror, ad idem exemplum dicere, Mau mau: ex quo nomen etiam & verbum Lucretiano more deduxerim, Mau-matus, vel maulatus, maumari, vel maulari.  
Vale. Perusia ex Seminario.

---

E I D E M.

**R**espondeo festinanter, in magnis occupationibus, ad istum tuum, qui meam non probat de felina voce sententiam. Veteres, inquit, scriptores maulari non sunt, ergo ne nos quidem maulari fas est. Audio: sed undè nam illud constat? Nempe quia in illorum scriptis, quæ nunc extant, maulari non invenitur. Esto: non inveniatur: & credam tibi quisquis es, omnes à  
te an-



te antiquorum libros fuisse lustratos, nec usquam  
 eam vocem fuisse repertam: credo inquam, hoc  
 tibi: tamen nego, propterea illam vocem a La-  
 tio ablegandam videri, cum facile alterutrum  
 esse potuerit, ut vel in usu quidem fuerit inter lo-  
 quendum, sed à nemine relata in litteras: vel  
 etiam si fuit scripta, interierit cum Accio, Ti-  
 tinnio, Pacuvio, aliisque, quorum monumenta  
 ingenii subversa sunt, & ad nostram memoriam  
 non pervenerunt. Sed fac neminem unquam  
 scripsisse, quod pro certo affirmare non potes, vel  
 neminem unquam dixisse, quod omnino non  
 potes: tamen audeo dicere, vocem esse probam,  
 germanam, propriam, & rei maxime accom-  
 modatam. Quis hoc dicit? Non Cicero, non  
 Plautus, non Cacilius, sed alius quidam auctor,  
 tum antiquior, tum locupletior istis omnibus.  
 An esse quisquam potest Cacilio vetustior, Cice-  
 rone probatior? Potest: meus certe auctor vin-  
 cit etate litteras, auctoritate scriptores omnes. Pa-  
 rum dixi: unus est de numero magistrorum,  
 qui multa vocabula Ciceronem, Varronem, Li-  
 vium docuerunt, Magister, & doctor Felis. Ete-  
 nim obsecrote, Bontempi, quis docuit Maronem  
 dicere balatum, nisi ovis? unde habet bauba-  
 tum Lucillius, grannitum Varro, nisi ille a catu-  
 lo, hic à porco? Quamobrem extinguantur lices  
 omnes Græcorum & Latinorum littera, tamen vo-  
 ces illiuscemodi perennare oportet, cum ipsis ani-  
 malibus



malium speciebus, ex quorum ore nascuntur. Cumq; ab hominibus excogitata vocabula frequenter variant, per literarum additiones, deductiones, mutationes; hæc, quæ à brutis inventa sunt, pura, integra, incorrupta servantur. Quod si propter vetustatem amittunt quandoq; aliquid de nativo splendore & forma; semper in promptu est castigatio, si formatores ipsi vocum talium adeantur, & consulantur, bos, capra, equus, asinus. Narravi olim tibi de duorum lite Grammaticorum: ex quibus cum ille apud Catullum legi vellet, Pupulabat; hic autem, Pipilabat, me cepere arbitrum: & ego rejeci homines ad judicem magis certum, a quo appellare fas non esset, Passerem: qui consultus à litigantibus, sententiam clara voce intonuit, Pi pi. Et ego istum tuum, si mihi non credit, ad Felem jubeo ire, non aliud responsurum, quam Mau mau. Desinam nugari & ineptire, si unum adjecero, non solum brutas animantes, sed pleraque inanimata venire in hunc numerum Magistrorum, & ditare vocibus ab se genitis Romanam linguam. Habemus enim à ferro stridorem, ab igne crepitum, ab aqua murmur, a tormentis muralibus bombardam, a tubis sive tympanis militaribus Taratantara: quod ultimum Ennius usurpavit, Virgilius correxit. Vale. Perusie ex Seminario.

Quas mitto literas ad Fulvium Ursinum,  
erit



erit mihi gratissimum, si non dico, reddendas curaveris, sed reddideris. Sublevabit enim urbanitas tua rusticitatem meam: & ferentis auctoritas dabit, quam scribentis tenuitas dare non potuit, gravitatem. Vale iterum.

## E I D E M.

**S**cripseram, & inscripseram eadem opera duas epistolas unam ad Mannuccium sic ——— Admodum illustri & admodum excellenti Aldo Mannuccio, Pauli F. Aldi N. alteram ad non ignobilem Ludimagistrum, sic ——— Viro erudito & amico singulari Nigidio, &c. Supervenerat inscribenti philosophaster, qui jam dudum ad Grammaticos defecerat, in eisq; ut cum maxime philosophabatur, tam loquaciter, quam pertinaciter. Is ergo, sumptis in manum litteris, post odiosam & usitatam laudationem sui; negavit se posse concoquere perversas inscriptiones: Mannuccium, inquit, excellentem vocas, nullo titulo doctoratus insignem, non vocas illum alterum, quem scis, donatum laurea magistrali, & adlectum inter nostros: nam neq; obesse huic debet, si Grammaticam docet, cum sit philosophus, neq; prodesse illi, si scit etiam philosophiam, cum sit orator. Honos enim ille verborum dignitati potius tribuitur, quam scientiæ. De poetis distinguebat eodem modo, nec putabat, excellentem dici oportere, qui non esset à

G

Prin-



Principe laureatus. Rex ergo, inquit Sensus, Vates faciet, non Phœbus: & Quinctiani, Glareani, Augurelli, tantum quia ornati lauro, pluris erunt nobis, quam Polutiani, Pontani, Sannazarii, qui virtutem adepti, hac virtutis insignia neglexerunt. Annuebat. Ego ridebam tacitus amentiam hominis, qui putaret, a privilegiis & diplomatis utcumq; ortis, non a doctrina ingenio parta, studio alta & confirmata, proficisci excellentiam: neq; tamen respondi ei quicquam. Didici enim cum istis verba non perdere, quibus hoc fixum animo est, Numquam cedere. Vale. Ansideo, & Bencio salutem a me plurimam nuncia: tu salve a Meniconio. Perusia, ex Collegio Seminarii, Nonis Decembris.

---

FRANCISCUS BENCIUS  
M. ANTONIO BONCIARIO  
S u o , S.

**V**ereor ne irascaris mihi: argumento est silentium tuum: & sanè irasci non debes: nam si tibi non morem gessi, & causam perscripsi disertè, non videor accusandus, laudandus a te potius, quem non lactavi inanibus promissis; & vero etiam consolandus, quando mihi non sine maxima molestia contigit, ut amico summo pernegare quiddam cogerer, quod ardentius cupissem dare quam ipse petebat: nulla mea culpa. Poena autem quanta? non vides angorem  
hunc



*hunc meum animi, & sollicitudinem qua dis-  
crucior? Age jam te mihi mitem & placabi-  
lem redde: hoc si non obtineo, verto solum, aliquo  
ab eo exulatum: & certè ita est: nam, si nescis,  
Neapolim proficiscor de medicorum consilio, ne  
experiar, ecquid mutatio cœli prosit infirmitatē  
valetudinis meæ. Si nihil acciderit, revertar  
autumno. Tu velim interea, ne veteris amicitie  
nostra obliviscaris; ego quidem ejus jucundissi-  
ma recordatione perpetuò delectabor. Vale, Ma-  
rioq; & amicis communibus plurimam. Romæ.  
Non. Mart. 1592.*

---

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S.

**E** Gi silentio meo gratias, quòd te in istam opi-  
nionem adduxerit, indignam sanè nostrā  
jam vetere amicitia, nec mihi tamen molesta;  
cum in quo reprehendis aut officium aut amo-  
rem meū, in eo ipso declaras & probas tuum. Er-  
go, inquires, ante hunc diē te à me amari non sen-  
seras? Non possum negare, sensisse me, tum glo-  
ria meæ causa narravisse quamplurimis. te verò  
tam leni, tam planè fraterno in me animo non  
sperabam: qui utinam temperare mihi possem,  
non dico in te amando, quod neq; potest fieri, ne-  
que velim: sed pœnitet me, quod non sum eo in-  
genio, qui possim saltem simulare ac præ me fer-  
re, quasi tibi essem iratus: differrem te, neque



me proderem usq; eò, dum elicerem plures ejus-  
 modi cōquestiones. Sed nimirum ardentius atq;  
 impotentius amo te, Benci dulcissime atque hu-  
 manissime, quam ut premere sensum animi mei  
 possim, & hujusmodi ludum ludere. Quare ô fa-  
 ctum bene, quod te Pompejus Danzetta celavit  
 de epistola, quam paucis diebus ante à me acce-  
 perat! potuit ea, si legeres, istum eximere tibi  
 scrupulum, & me tanto amoris tui testimonio  
 privare, non ideo minus jucundo, quia minimè  
 necessario. De Lipsianis epistolis nihil me plane  
 pupugit: æquissima tua causa est: non probare,  
 nisi sim ipse iniquissimus, non possim: & probavi  
 scilicet, ut legi tuas priores, neq; sum ausus con-  
 trahiscere. Etiam miratus sum, quod istuc mihi  
 non ante in mentem venerat. Marius, cujus im-  
 pulsu illa scripseram, tantummodo rogat te, ut  
 quando epistolas Lipsii mittere ad nos non potes,  
 ne gravere unam nostram ad illum mittere:  
 quod quo minus possis, non putat te ulla religio-  
 ne impediri. Is mihi orando surdas jam aures ef-  
 fecit, ut scriberem mitteremq; ad te: quod me ne-  
 gavi ante esse facturum, quam scirem, ecquam  
 tu habeas mittendi copiam. & mittendam putes  
 nec ne. Jam de iis, quos tibi hætenus commen-  
 davi, qui tibi in mentem venire potuit, homini  
 acuto & perattento, id queri, de quo etiam de-  
 buisti agere gratias? Qui, inquis, ad me salu-  
 tandum venerant, mihi multam salutem dixe-  
 runt.



runt. An non injurium est, qui tibi boni aliquid allaturus sit, is quod plus eo afferat, dolere? Ego verò etiam majore beneficio me affectum censerem, si quis pecuniam ad me allaturus, multam pecuniam ultrò afferat: neq; ausim, quod suapte natura bonum sit, in eo copiam fastidire. Sed dicam tibi quomodo seres habet: ne unum quidem memini apud me tibi gratias agere. priores duos dolere etiam & queri, quod nunquam tui iterum conveniendi copiam habuerunt: venisse se istuc ferè quotidie, nunquam non frustra: negare janitorem te posse evocari: maxime verò accusant suam fortunam, quod non diu esse istuc licuit. Hoc illi cum ad me retulissent, sanè sedulo te purgavi: neq; sum admiratus, quod mihi, cum oculis uterer, sepe contingeret, id tibi quoq; usu venire rerum non paulo graviorum onera sustinenti. Convenerat autem mihi cum hostiario, quem quaq; hora excludi vellem: neque ferè cujusquam erat mihi, quam librorum meorum consuetudo convictusq; jucundior: etsi nunc quidem contra est: exclusus a Musis, atq; ab eo, cui me planè dederam interiore studio litterarum: odi mirifice solitudinem: celebritatem amo, in omnem fabulandi occasionem intentus: quo tibi equior esse debeo a molestis interpellatoribus optima & gravissima tua studia vindicanti. Itaq; ego tenere risum non potui, cum quidam è vestris patribus mihi narraret, te quo



totus Musis vacare possis, in conclave quoddam  
 secedere voluisse, aditu tam difficile atq; impedi-  
 tum, ut janitori fortassis egro aut lentulo (certè  
 noster ita est) propè non liceat isto ire: eoq; sapè  
 aliquid comminisci & causari necesse habeat,  
 ad excludendos salutatores: à quibus etiam quò  
 absis longiùs, non modo valetudinis causa, puta  
 te Neapolim cogitare. Sed heus tu, cur non Peru-  
 siam potius ad nos? nota tibi est nostri cœli salu-  
 britas abacta luce, nota amœnitas, & frugum co-  
 pia, nota reliqua vite solatia: neq; deerit, quò te  
 maxime capi posse arbitror, hominum & huma-  
 nitate & doct̃rina præstantiam consuetudo. No-  
 sti præ ceteris Mauritium Bressium, illum dico  
 nobilem Gallum, qui superioribus annis habita  
 pro suo Rege ad Xistum V. oratione, aliisq; in re-  
 bus egregie navata opera, millenos sibi aureos  
 rotundavit. Is hoc tẽpore bono nostro fato Peru-  
 sia profitetur, estq; totus Ansidai nostri, totus  
 etiam noster; ut nulla causa sit, quare non una  
 opera & valetudini tuæ, & desiderio nostro con-  
 sultum velis. Ego certè, si tuo congressu frui li-  
 ceat, causam non habeam, cur tantoperè meas  
 Musas desiderem te Apolline. De Mureti lucu-  
 brationibus eò te minus urgeo, quòd me tui Mar-  
 tyres per multos dies feriari non sinent, quos terra  
 mariq; fugientes spero me esse consecutum. Vale  
 3. Id. Mart. 1592.

FRANCO



FRANCISCUS BENCIUS  
M. ANTONIO BONCIARIO  
Suo, S.

UT vulneraverat me taciturnitas tua, ita sanavit epistola: hoc profecto jucundius, quod in iis locis nunc habito, ubi rarius istiusmodi deliciis frui contingit: quod si Verierium meum non haberem, eum videlicet, qui nunc ad te scribit suasu meo ( agnosces nimirum Leonem ex ungue ) & alios præterea sodales, ut litterarum, ita etiam mei per amantes, jam pridem actum de me esset. Ergo fatendum est enim, do pœnas intemperantiæ meæ: quippe gravedo capitis, quæ me vexat, non aliunde ortum habuit, quam ab assidua Musarum consuetudine, a quibus avelli non poteram. Nunc quid animi mihi esse putes, Bonciari, ab iis abstracto, quod adverse esse dicerentur salutis meæ? equidem tam longum dissidium ferre non possum. Et tamen quid faciam aliud, cui meditatio omnis, & librorum lectio negatur de consilio medicorum? sicne Esculapius a patre discordat? credas mihi, vix fuit venia tantula epistola: hac conditione ne elaborata esset, sed flueret sponte: hic ego nisi quasi aliter scribã ad amicos, aut verò etiam scribendum putem: additum deinde, ut breviter: & fuit obtemperandum, ut idem aliàs impetrem. Nunc ipsum percurrit tuam epistolam ( quã quoties le-



Et ita tibi mihi arbitrare; ) ut si quid opus sit re-  
 spondeam: nec quicquam video, nisi ut, an tu ad  
 Lipsium, quo Mario satisfacias. Si quaeris vo-  
 luntatem meam, cuperem vehementer: & si non  
 auderem prestare, ut tibi continuo rescribat: sed  
 vides quam sit difficile hac in re uti me interpre-  
 te, cum tam longè absim: ita satius esse opinor  
 expectare dum redeam, quod spero fore sub au-  
 tumnum: ex eo consilium nascetur & littera, nisi  
 tu ipse praeventendum existimabis. Nam quod  
 suades, ut Neapoli praoptem Perusiam, & mul-  
 tas causas affers & justas, vides ibi rem esse, ut re-  
 vocari non queat: & certè medicorum filii au-  
 ditores mei sunt accusandi: eorum vento usus  
 huc me appuli: utinam ad portum salutis: ve-  
 rum ut se dant principia non penitus despero. In-  
 terea si quid forte molestia aspersit mea peregri-  
 natio, diluas Martyribus necesse est: vellem ii  
 tibi donati essent de meo, nempe testes amoris:  
 sed si novimus nos inter nos perinde erit: scienti  
 tibi paupertatem meam, mihi humanitatem  
 tuam. Vale, & si videbitur, Ansidam, & Bres-  
 sium; Marium nostrum utiq; meo nomine  
 salvere jube. Neapoli 11. Non.

April. 1592.

FRAN-



FRANCISCUS VERIERIUS  
 EX SOCIETATE JESU,  
 M. ANTONIO BONCIARIO, S.  
 PERUSIAM.

**M**iraberis credo, vel audaciam, vel impudentiam meam, cum homo ignotus ac planè rudis ad te scribere sim ausus virum præclarum, & elegantibus litteris excultum. Sed quanam culpa sit equi, si currat, hinc pabulo allecūs, hinc incitatus calcaribus? suauitas enim atq; elegantia litterarum tuarum, quas mihi P. Bencius legendas dedit, veluti pabulum quoddam fuit voluntati meæ: & ipse noster Bencius, neq; enim dicam tantummodo meum, ne ad invidiam provocatus, usq; adeò postea hominem urgeas litteris tuis, dum à me abstractum ad te Perusiam traducas, verumtamen ipse nunc hortando ac suadendo, nunc propè jubendo, ac tantum non cogendo, me quasi quibusdam acutissimis stimulis incitavit. Et si ego profectò is sum, qui vitio quodam meo laceffere soleam litteratos viros scriptione litterarum; nec valde sim sollicitus de jactura existimationis, patefacienda inscitia, dum ab iisdē litteras quoquo modo eliciam, aut etiam extorqueam: quo in genere peccavi aliquot ante annis, an mensibus? quam è vita decederet, in Virum omni litterarum genere instructissimum cognominem, atque magistrum

G 5



strum tuum, & verò etiam studiis quàm similimum M. Antonium Muretum; & alias in alios quamplurimos, nec me ejus peccati unquam pœnituit: ut propterea mirari nō debeas, quod in te nunc tam audacter, ut initio dicebam, tamq̃ impudenter peccem. Quod si tua humanitas, ut mihi persuadeo, ea est, ut hoc non modo non audacia atq; impudentia peccatum existimes; sed magnum putes argumentum benevolentia; ego sane quod nunc aliterius suasu atque impulsu facio; in posterum sponte mea sic faciam, ut ab eo deduci nullis neq; minis alicujus, neq; machinis possim: hac tamen lege, ut ipse ne elegantes a me refertasq; sententiis gravioribus epistolas expectes; sed eas quæ ab homine constante quidem & benevolo certè expectanda sunt. Nam quod ad scribendas litteras attinet, sic habeto, me non eos imitari solere, qui dum conficiunt epistolam, præterit annus; qui nisi gravem aliquam sententiam ex antiquis auctoribus inveniant, deserunt potius officium; sed ducem sequi ingenium meū, quod eo me rapit, non ut nimium immorer in deligendis verbis, colligendisq; sententiis, sed quacung; se primum objiciunt, ea nullo delectis arripiam, ac plena manu inferciam in epistolam. Quod si te hoc genus non delectat, ne spes me unquam alicujus, sed ne tua quidem eloquentia ab hac mea sententia abductum iri; sicut ut est, non aspernaris, idq; ego intelligā ex tuis litteris,



litteris, jam nunc tibi spondeo atq; affirmo, quàm creberrimas ad te, & quàm longissimas epistolas meas fore, & amore plenissimas ac benevolentia tui. Vale. Neapoli.

M. ANTONIUS BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S.

NEAPOLIM.

E Go te, Benci, parum commodè valere putabam, tam valde angi & languere, quam scribis, non putabam: itaque proxima tua littera maxima me molestia affecerunt: & si spero te, morbi causa cognita, celeriterq; adhibito remedio, facile evasurum. Nec miror magno tibi solatio esse Verierium, hominem ignotum mihi de facie, de fama jam antè cognitum, latinis grecisq; litteris perpolitum, cujus in summa eruditione parem suavitatem & leporem perspexi iis litteris, quas ad me dedit impulsu tuo: quibus, etsi arrogantis est, non desino gloriarì, & te amare, quod in talibus tantisq; amicis mihi adjungendis majorem honoris & voluptatis meae, quam iudicii & existimationis tuae rationem habueris. Rescripsi homini perinsulse, ut soleo, & indisertè; sed malui parum peritus videri contra tuum testimonium, quàm parum officiosus contra ingenium & mores meos. Tu cujus mihi hominis voluntatem concilia-  
sti, quam neca imbecillitas sustinere non potest,

6420



*eam aliquo artificio retine ac tuere. De Lipsia placet consilium. Tu modo facito ad id tempus, quod constituisti, bellus revertare: interea suades ut Martyribus tuis diluam eam molestiam, quam ex absentia tua capio: praclaram sanè rationem levandi afflictum animum, ex hominum afflictatione multò majore. Unum librum perlegere adhuc non potui: quod quo die bibliopola illos attulit, eo ipso sunt reddita tua littera à Tabellario, & nosti quotidianos meos labores. Bressium & Ansidaum hoc triduo, quo tuas accepi, videre mihi non contigit: utriq; salutem à te Marius renunciavit, qui & eorum & suo nomine tibi remittit plurimam. Parco præter meam consuetudinem plura scribere, vel ut valetudini tuae serviam, vel ut medico: quem ut metuo, si velis iterum scribere, ne minus exorabilem habeas. Tu tamen eo vides multum, quòd una opera mihi novos amicos, tibi adiutores, qui onus ferant, paras: si nescis, levat te magnà molestia non tam medicus, quam Verierius: is scilicet tuam vicem lucet, quem grandi epistola verberavi. Vale.*

---

M. ANTON. BONCIARIUS  
P. FRANCISCO VERIERIO, S.  
NEAPOLIM.

**M***iratus sum fateor, doctissime Verieri, quod etiam nunc miror, non audaciam, ut tu*  
vocas



vocas (nam alterum verbum, impudens ego sum, si non refugiam nominare) miratus, inquam, sum, non consilium, quod cœpisti, scribere ad me, licet ignotum, licet ignobilem, quod plenum humanitatis, officii, benevolentia non abhorret ab eo studio, in quo excellis: istam verò tantam contentionem Bencii, qua te impulit ad scribendum, & miror vehementer, & vero (dicam liberè) non nimium amo: satis enim scio te propediem esse intellecturum, causam non fuisse, cur homini auscultares: dum me, contra quam tu opinaris, & ille spondet, neq; doctum agnosces, neq; disertum, sed unum de foro ludimagistrum, tinctum litteris, & cum Bencio, præter illud, quod una venio a Mureto, nihil commune habentem. Sed hoc Bencius idem viderit, si prædicatione sua plus oneris amico imposuit, quam sciret ferendo esse: nam de litteris meis, quas tibi ille legendas dedit, securior sum, non potuisse plus tibi de mea mediocritate ingenii polliceri, quam ego prestare possim: me tamen paulum consolatur ea ratio, quod tanto locorum intervallo, quanto sumus disjuncti, non ferè arbitror posse accidere, ut prodam me tibi planius, & meam inscitiam penitus declarem. Sum enim, humanissime Verieri, in ea opinione, spero item te, non magno periculo se permittere amittendæ vel minuendæ, si quam habeat in re litteraria existimationis, quicumq; literas ad amicū rescribat rudes & invenustas:  
neq;



neq; enim par esse censeo à re tantula, quam pleriq; facimus incuriosè ac negligenter, de toto studiorum genere judicare. Quare iterum dico, Bencius videat, quid promiserit: ego ejus opera magno amico auctus, nil moror cetera, mihi ipse in sinu gaudeo atq; triumpho. Jam quod epistolas non magnopere elaborandas censes, assentio tibi hoc libentius, quòd jam diu mihi librorum usu & consuetudine, non à medicis, ut Bencio, sed ab oculis propè mortuis interdicitur. Quorum ope atque subsidio destitutus, vererer, ne beneficio tuo uti non possem, si graves atque excultas litteras à me requireres: nunc cum te hoc genere contentum esse ostendas, scio mihi non fore admodum difficile, hanc quasi confabulationem litterariam exercere, & hujuscemodi quamlibet multas dare. Crede mihi, magnis ineptiis refertissime sunt meæ litteræ, sententiis verò non aliis, quam quas colunt vulgo, inlepidis, insuavibus, plerisq; sub calamo natis. Rogæ Bencium: cui metuo, ne cum ceteris offensionibus, ea quoque stomachum fecerint. Contra tuæ, dulcissime Verieri, testimonium contra te dicere mihi videntur: lepida sunt, venusta sunt, nec verborum ornatui cedit gravitas sententiarum. Neq; propterea venit mihi in dubium tuæ sententia, quod non esse usus videare, qui præcepisti: hæc enim ingenii tui laus est, non laboris culpa. Quod superest, queso obtestorq; te, ut  
quare



quam veniam jejunitati hujus epistole daturus  
 eras tua sponte, des etiam longitudini meo roga-  
 tu. Vale, 12. Cal. Majas. 1592.

M. ANTON. BONCIARIUS,  
 P. FRANCISCO BENCIO, S.  
 NEAPOLIM.

Nostre litteræ nimium rarò, nimium lentè  
 commeant; neq; mirum, in tanto tractu,  
 tam multis ubiq; itinerum obsessoris: qua si  
 causa absit, verear haud immeritò, ne revaluis-  
 se me ab oculis putes, & pristinam lucis usu-  
 ram recuperasse, qui tandiu calamo parcam  
 & linguæ, præter cecorum consuetudinem, &  
 meam. Utinam istuc quidem putare verè pos-  
 ses. Sed non est ita: alia silentii causa est: ocu-  
 lis nihilo clarius video, quam vidi ante bien-  
 nium: dies ad valetudinem nihil affert, ad qui-  
 tatem atque solatium animi mei, multum. De  
 te, Benci, laboro magis: etsi enim minore in pe-  
 riculo versatur tua valetudo, quam nostra olim  
 afflictæ est: tamen si quid tibi contra accidat,  
 quam speramus; nimis profecto grandem jactu-  
 ram, non dico vestra Societas, sed res ipsa latina  
 factura sit. Ergo etiam atq; etiam scire a veo,  
 num planè te confirmaveris, ecquod momentum  
 attulerit languori tuo istius calis haustus, atq; sa-  
 lubritas regionis: non enim tuum silentium in-  
 dex mihi depulse infirmitatis tuæ, item ut memento  
 tibi



tibi recepti luminis: loquacula cecitas est; reliqui morbi queruli potius quam garruli; aut ne queruli quidem: certè gravedo capitis propè muta est. Scribes igitur eò magis, quòd relicto à te absentia tua solatio eram jam ante abusus: Martyres tuos dico, non illos quidem nostræ religionis, ac fidei magis, quàm pietatis atque ingenii tui martyres. Quorum iterum atq; iterum repetita lectione, liberè confiteor, ad leniendum desiderium tui, sublevandumq; presentis fortune casum non aliud mihi potuisse afferri remedium opportunius. Sed vide ad extremum quò res evaserit. Quandiu studui legendis tuis, adeò tui non memini, quasi natum esse nescirè: omnino omnis vel invaletudinis, vel peregrinationis tue cura resederat: abducta alio mens, & cælos ipsos supervecta, quidvis potius cogitabat, quàm de te qui abduxeras. Ubi verò ad me redii, rediit item pristina de te cura, eò acrior, quod te nimio pluris ex tanto fœtù aestimare cœperã. Propè nò dissimiliter, atq; memini mihi accidere, cum febrè aestuq; jactor; ut si ebiberim incontinētius aquam gelidam, quæ forte ori abluendo fuerit data, videar equidem relevatus non mediocriter; sed paulò post multò gravius vehementiusq; afflicta-ri soleam, intestinis aucto incendio aestuantibus. Huic similem flammam, quæ me excruciat, unæ tuæ litteræ possunt refrigerare & extinguere; modo tales, quales opto & spero, pristini tui roboris



Et firmitatis nuncias: neque si non omnia secunda sint, ideo cessa scribere. Nam verè Plinius: parum differt, patiariis aduersa; an expectes: nisi quod tantum est dolendi modus, nõ est timendi: doleas enim quantum scias accidisse: timeas quantum possit accidere. Marius valet, Et te salutat: ego jubeo Verierium. Perusia. 3. Non. Sext. 1592.

FRANCISCUS BENCIUS  
M. ANTONIO BONCIARIO, S.D.

**B** Reviloquentem me faciunt angustia temporis: eo te facilius laturum spero, quod appropinquare videtur reditus meus: mihi, ut nunc quidem est, jam, Dei beneficio, est ut volumus: te verò, ut magnum olim cecuta Socratem, cecitas ista, ut appellas, clarum facit. Sic enim fers eam moderatè, atque etiam libenter, ut admiratione magis virtutem animi, quam miseratione vitium corporis prosequi debeamus. Ergo isto exemplo augebitur eorum numerus, qui aduersos casus fortiter tulerunt: qua ex re maiorem tui laudem capies, quam ego fortasse ex quinque Martyribus meis, quos cum dilaudas, agnosco benevolentiam, neque ea mihi cecitas mentis, ut non videam, quid tibi imposuerit. Cum in Bencium intueris, Bonciari, amove conspiciilla, qua faciunt fucum; deformis apparebit: tuus tamen mihi amor gratus est auctor erroris: Et, ut fatear,

H

tear,



tear, non ingratus error amoris index: quando a te amari me, & laudari mea, cur gaudeam, equa propemodum causa est: neque enim opus commendaretur, nisi probaretur artifex, & tua prudentia facit, ut omnes existiment neminem abs te diligi, nisi de quo antea optime judicasti. Vale, & me amare, mea q̄ tueri perge. Verierius tibi plurimam: ut ego Mario. Neapoli a. d. 5. Cal. Sept. 1592.

M. ANTON. BONCIARIUS  
P. FRANCISCO BENCIO, S.

**H**Abes Epistolam ad Lipsium: mittes cum licebit, atque adeo cum libebit; de responso ut ille loquitur, non laboro: Illud malo, si mittendam putaveris, unam comitem de tuis adjungas, quamquam hoc quidem potui praterire: nam amicitiae ratio ipsa per se requirere videtur, ut meam tanta terrarum spatia obire ne sineres incomitatam: Da ducem & praesidium via: dabis etiam aditus faciliores, & gratiorem ejus adventum facies. Scire a veo quod studii genus trahes, quidq̄ hoc anno publice interpretere. Nam falsum puto, quod quidam disseminarunt, desisse te lectionem: quod cum quidam narrarent, Hem, inquam, agro mihi & ceco feriari non licet: Bencio liceat valenti, oculato? Non potest: praepropera missio est, quam neq̄ superiores solent dare, nec juniores possunt ferre, qui a te discunt.

Nec



*Nec enim gratuitum solet esse hoc otium: longa etate, magnis laboribus, addo etiam insigni aliquo valetudinis detrimento merendum atq; emendum nobis est. Vale.*

M. ANTON. BONCIARIUS  
JUSTO LIPSIO, S. D.

LOVANIUM.

**A** Quo die mihi de fama cognitus es, o vir omnibus disciplinis atque artibus instructissime, Juste Lipsi, es autem cognitus ferè quinquennio post, quam Roma discederes, cum ego ad M. Antonii Mureti disciplinam me contuli: injecta est mihi, quamquam tum admodum puero, minime puerilis cupiditas, ad te scribendi. Cujus rei satis magna occasio videbatur, quòd videlicet tu quoque Muretum audisses: neq; deerant insignes viri, tuiq; peramantes, in his etiam & Muretus ipse, & popularis meus Gibertus de Oddis, qui mihi ejus rei auctores forent. Interjectis diebus, allatus est ad nos Tacitus tuus, mea serena, mea delicia, ad quem tam liberem, tam difficilem, & mihi charum scriptorem intelligendum, cum per te nobis aditus paritisset: cœpi velle eo nomine tibi gratias agere, & meam ambitionem satis honesta humanitatis & officii specie tectam gaudebam. Cum ergo me nullius, quãtumvis acres, ac verbosa hortationes magis urgerent, quam tuus Tacitus ad scribenda

H 2

diuis:



dum: quae postea consecuta sunt longè optima & gravissima ingenii tui monumenta, ea me nimium quantum ab illo proposito deterruerunt. Et alioqui contra fieri oportebat: nam quò plura quotidie à te discerem, eò erat æquius de tuo majore in me merito gratulari. Sed feci more hominum vulgarium: ut, quamquam scirem cum ista tua tam admirabili ἐγκυκλοπαιδεία tantundē humanitatis debere esse conjunctum; tamē me pudor meus, & contemplatio tui sapius admoneret gravitatis, auctoritatis & praestantiae tuae, quam humanitatis. Veritus sum ne ultrò proderem egomet, non dico inscitiam meam, quae alioqui potest esse non ignominia, sed, quae semper cum probro est, impudentiam, qui videlicet ad tantum tantulus. Neque scripsissem sanè, licet multis urgentibus, in his etiam fratre tuo, patre meo Francisco Bencio; nisi tu ipse mihi animos faceres, & me quodammodo ad colloquium invitares. Non enim existimaui posse à quoquam reprehendi officium meum, quod à te provocatum foret. Ego verò, inquires, qui potui te provocare, quem ne natum quidem scio? Recognosce paulum, Lipsi, tuos libros epistolarum: videbis in fronte, quemadmodum me pellexeris, ubi verè ac prudenter disputas, quam sit facile, de moribus uniuscujusq; conjicere ex epistolis, in quo uno genere scriptiois delegimur, & subjicimur legentium oculis pœnè nudi. Ergo ego cum totam  
 tuam



tuam Centuriam accuratius percurrissem ( primam dico: alteram enim audio esse qui viderint, ego diu quesitam adhuc quero ) adeo tuum ingenium, tuum candorem, tuam animi equitatem atq; suavitatem adamavi, ut occulto quodam impetu raperer, ad te salutandum, & declarandam tibi, quibus possem modis, observantiam atq; affectum meum. Ad hac cum multos jam menses tecum essem locutus, Tacito interprete, nec ullo recentium scriptorum, aut frequentius aut libentius, quam te uterer: visus sum tecum, haud dico amicitiam, sed certe societatem & conjunctionem animorum nescio quā iniisse: ut jam mihi liberum esse existimarem, quasi ad notum scribere, si quid vellem. Quod igitur primis litteris a te petimus, breve est, & ut remur, non difficile. Ardemus incredibili cupiditate scriptorum tuorum: ea cuicunq; modi sint, magno studio & cura conquirimus. Summa labor quendam conficias oportet, nō eorum modo, quae ad hanc diem sint edita, sed illorum etiam, de quibus edendis cogites, quaeq; jam habeas vel expolita, vel etiam instituta. Nam illud supervacaneum est, si te rogem, ut cures quamplurimae exemplaria Romam aut Venetias perferenda: id nos scilicet operam dabimus: quod huc usq; successit non satis bene. Cum enim non ita multa allata ad nos essent, & extare non paulo plura ex iis ipsi intelligeremus, quae habebamus; gene-

H 3 ratina



ratim hoc mandavimus bibliopolis, ut Lipsiana omnia, & omnes libros a Lipsio emendatos, aut scholiis illustratos, undecumq; colligerent & afferrent; non esse periculum, atq; adeo me sibi ultro recipere, quicquid eo nomine impenderent, non occupatum diu futurum: satis enim videbar intelligere, id quod postea factum comperi, fore neminem, duntaxat paulo humaniorem, qui tuis lucubrationibus carere vellet. Sed accidit perincommodè, quòd quos libros jam antea nacti eramus, *Notas in Tacitum, Epistolica, Electa, Saturnalia*; horum multa exemplaria asportarint: quæ autem magnopere expetere-mus, auctos in *Tacitum Commentarios, De Politica, De Constantia*; ea nusquam compareant. His similia suspicamur esse non pauca, quæ a prestantissimo, uberrimo, & penè divino ingenio tuo frequenter prodeant: de quibus si nominatim scripseris, scito te non uni mihi (quod ne ego quidem dico esse tanti) sed viris longè gravissimis, & tibi amicissimis, Ursino, Aldo, Bencio rem gratissimam esse facturum. Vale.

---

FRANCISCUS BENCIUS

EX SOCIETATE IESU,  
M. ANTONIO BONCIARIO  
Suo, S.

**N**on nova est tibi consuetudo cessationis  
mea, presentis fortasse causa ignota est: eò  
magis



magis tibi sum excusandus: neque enim sum feriatus à Musis, quod quidam tibi persuadere conabantur: tenent me illæ, nec exire patiuntur: & injecta sunt vincula gravioris ponderis, ut vix sim ferendo. Ethicem nempe Aristotelis, quando visum est Patribus, ut nunc primum explicaretur in hoc gymnasio, publicè interpretor: quanto meo cum labore, sum mihi ipse conscius: causam laborandi affert res ipsa, & auditorum frequentia: ita non sum liberatus solemnibus illo munere, at ne levatus quidem. Excipit deinde laborem publicum privatus alter diebus vacuis non minoris negotii. Inunc, & me otiosum esse suspicari, & increpa silentem. Accepit tuas ad Lipsium, non dum misi: expecto videlicet, dum is ad postremas meas rescribat: id credo erit commodius, ut cum tuis meas jungam: etsi meæ, ne obruantur pulchritudine tuarum, erant seorsim mittenda: sed non decet pronubam ornatiorem esse sponsa. Itaque faciam quod dixi: quod tu etiam cum modestè rogas, non minus apud me valere debet, quam si flagitares apertè: quicquid deinde acceperim ab illo, primo quoque tempore cognosces. Vale. Romæ. 10. Cal.

Decembr. 1592.





PARS SECUNDA.

M. ANT. BONCIARIUS  
ALOYSIO CITTADINO, S.

ROMAM.

**R**espondeo litteris tuis, urbanissime Cit-  
tadine, non solum brevius, quam tu  
poscis, sed etiam festinantius, & incul-  
tius, quam ego vellem. Facit hoc molestissimus  
oculorum dolor, quo quintum jam mensem ita  
laboro, ut etiamnum aspicere lucem non queam.  
Quod te mihi purgas, & nescio cujus omissi offi-  
cii culpam deprecaris, agnosco veterem, & mihi  
sape cognitam expertamq; humanitatem tuam:  
qui quidem ea etiã, quæ arbitrii tui sunt, quæq;  
negligere impune potes, vereris ne quasi debita,  
à te exigam. At ego non male mecum esse actum  
puto, quod non castigas ipse negligentiam atque  
inertiam meam, qui non ante ad te scripserim,  
& te passus sim antevertere: quamquam mihi  
excusationem in valetudo mea dat, cujus vel  
ipsum Crispolum testem habeo, qui quo die at-  
tulit ad me tuas litteras, invenit me clausum &  
circumscriptum cubiculo tenebricoso & peran-  
gusto, cum summa medicorum interminatione,  
ne quis intro ad me lumen inferret. Me verò,  
Deus



Deus bone, quàm crudeliter acceperunt, & mirandum in modum excarnificarunt! proximè utrasq; aures perforarunt mihi: puto, quia videre non poteram, ut saltem melius audirem. Ad postremum, quasi me pro derelicto haberent, collo laqueum injecerunt: id verò præter spem visum est aliquid allevamenti mihi afferre. Sic jaceo non omni spe destitutus atq; dejectus: adhuc tamen tenebris atq; horrore damnatus. Quem ego corporis habitum cum deslerem, & me mei pigeret puderetq; renidens frater, Bono animo es, inquit, Marce Antoni: cum enim te aspicio, vultumq; tuum cõttemplor, tantum abest ut damnati capitis faciem referas, ut etiam nova nupta formam & cultum gerere videaris: hoc annulata aures designant, ex quibus etiam insignes candore lapillos pendere velim: hoc ipsum ostendit monile collo circumdatum, cui pariter majoris formæ ac pretii gemma jungenda est, & jungetur scilicet non ita post, remissis caloribus, cum ad mariti domum magna cum pompa, medius inter lectissimos viros demigrabis. Non intelligo, inquam, quid velis. Tum ille: An oblitus es, inquit, post non multos dies, ubi canicula deferbuerit, itandum tibi ad Gymnasium, & publicos docendi labores repetendos? Hic est videlicet tuus Vir, cum quo diebus ferè singulis congregiare: jamq; animo cerno numerosam prolem lectissimorum adolescentium, quos exiguo spatio



temporis patriæ tuæ, imò etiam longinquis atq;  
 externis nationibus pariturus es: quarum qui-  
 dem nuptiarum conciliatores, atq;, ut ita dicam,  
 Pronubi cum fuerint Cornei, Crispolti, Sensii,  
 Bontempii: priores gloriam atq; auctoritatem  
 præstant, postremus bonum quoq; omen cogno-  
 mine suo facit. Sed plura quam aut morbus fe-  
 rat, aut medicus. Fac valeas, & me tibi toto pe-  
 ctore deditissimum perge amare, ut facis. Perusia  
 s. Cal. Quinēt. 1590.

---

BONIFACIO ET ANTONIO  
 CAETANIS FRATRIBUS.

**E**N vobis, Illustrissimi Caëtani, per opportu-  
 nam occasionem & facultatē non modo ad-  
 iuvandi, verum etiam ornandi mei. Horatius  
 Cardanetus, id quod mihi maximo dolori est,  
 affixus lectulo, sacris ad expiandam animam  
 ritè procuratis, cum incredibili cruciatu confici-  
 tur. Cui viro si dicam me cupere in docendo suc-  
 cedere, præsertim si nulla res urgeat vehemen-  
 tius: faciam impudenter, & meam tenuitatem  
 haud probè cognitam habere videar. Sed enim  
 cum in Gymnasio proximum ab eo locum obti-  
 neam, stipendio tenuissimo; res ipsa me hortari,  
 & quodammodo impellere videtur, ut saltem  
 modestè petere non erubescam. Tametsi ne sic  
 quidem adduci potuissem, ut petrem, nisi me  
 summa quadam necessitas cogeret: cum enim in  
 Semi-

Semi-



Seminario subtilioris aëris intemperies, oculis  
 meis perniciosissima, diutius me morari non si-  
 nat, mea autem res domestica ne tenuem qui-  
 dem victum cultumq; mihi suppeditet, aliam  
 rationem in patria mea vivendi non habeo,  
 quam ut hanc sequar aptam mihi, molestam, ut  
 puto, nemini litterariam conditionem. Qua  
 quidem cum ita sint, ne rogandi quidem estis,  
 Principes nobilissimi, pro vestra singulari hu-  
 manitate benevolentiaq; erga me, ut sentio, non  
 vulgari, ut me tuendum, atque etiam ornan-  
 dum suscipiatis. Unum tantummodo adscri-  
 bere necesse habeo, mihi omnem spem aut com-  
 modi, aut ornamenti in vobis unis esse repositam.  
 Valete. Hæc fratri raptim dictavi, quod adhuc  
 per medicum mea neq; manu, neq; oculo utili-  
 cet. Ex Seminario.

---

 BALTHASARI ANSIDÆO.

R O M A M.

**H**eritantum cognovi ex P. Paulo Dionysio;  
 venisse à te litteras ad Hieronymum de Ru-  
 vere, in quibus esset de Tiberina strage, & de tua  
 obsidione: quod incommodum desisse non ita  
 multò post, & te cum reliquis omni cura defun-  
 ctum spero. Facit autem hæc mea spes, non modò ut  
 ne audeam queri cum Ruverejo, quod me nimium  
 diu de te celaverit; sed ultro ei habeam gratiam,  
 quod me non antè fecerit certiozem, quam pro-  
 pè com-



pè compertū foret rem esse in tranquillo, nil peri-  
 culi fore amplius. Ita ille omnē de te solitudinē  
 & molestiam solus hausit: me cura socium ita nō  
 tulit, ut non inviderit mihi brevē usuram hila-  
 ritatis, qua vulgò fruimur Martinalibus. Nunc  
 verò aegritudinem consequitur spes consolatioq;  
 ejusmodi, ut quicquid mihi antea futurum  
 fuit molestia, id quia non fuit, meum gaudium  
 ex eo cumuletur accessione non contemnenda.  
 Sed heus tu quid noster Bencius? quicum esse te  
 multum arbitror: ediditne, an nondum etiam  
 Orationem, de qua proximè ad me scribit, cujus  
 unum exemplar promisit fratri? Mone homi-  
 nem, obsecro, si cum eo fortè in hunc sermonem  
 incideris. Poëma verò ecquando adspiciet lu-  
 cem? plenus est expectatione orbis terrarum: ego  
 verò torqueor eò magis, quòd prægustavi olim  
 apud Cardanetum, & visum est suavissimum.  
 Alia qua scribam, hui quàm multa habeo An-  
 sidae: sed non est otium. Post tuam profectio-  
 nem dirupi penè me in particula nescio qua no-  
 stri stipendii repetenda, qua anno superiore ita  
 fuerat attributa nostris philosophis, ut circum-  
 acto anno, non aliò rediret quam ad me. Jam  
 egrè id quidem, sed tamen impetravimus. Ita est  
 additum aliquid ad stipendium, sed ad curam  
 meam longè multum: quòd ea gratia postridie  
 festum diem S. Antonii necesse habeo prefari,  
 presentibus Cardinali, Episcopo, Prolegato, &  
 cetera,



cetera, tibi non incognita, nobilitate. Habeo etiã  
 aliam molestiam in exigenda prima pensione,  
 quam mos est solvi Cal. Jan. & quidem gratio-  
 sissimis ita solvitur: meam in Martias usq; reje-  
 ctam autumant. Hoc si fit, Balihasar, per occa-  
 sionẽ Satyre Horatiane, quam publicè explica-  
 re in animo habeo, volo in vehi tantis clamoribus  
 in avaritiam, ut istinc propè putem exaudien-  
 dos. Te felicem, Ansidae, hujus omnis expertem  
 cura, tuo fruente otio, viventem in ista luce,  
 & quod tibi jucundissimum esse oportet, uten-  
 tem Aldo, Maffeo, Ursino, Bencio, ceteris exi-  
 miè litteratis viris: quibus cum ego libentius  
 unam horam ponerem, quam cum quolibet no-  
 stro totos dies. Horum tu aliquem mihi concilies  
 velim: sed maxime Bencium retineas, quem  
 meo nomine salvere cupio. Salutabis etiã Bon-  
 tempium, & cum eo communicabis id quod su-  
 pra scripsi de stipendio impetrato. Tu quoq; An-  
 sidae, salve & vale. Perusia ex Collegio Semina-  
 rii, 4. Cal. Ianuar.

---

BALTHASAR ANSIDÆUS  
 M. ANTONIO BONCIARIO, S. D.  
 PERUSIAM.

**I**nundationem Tiberinam, quæ obsederat nos,  
 quod te ex meis ad Hieronymum litteris co-  
 gnovisse scribis, tu verò, M. Antoni, videre vo-  
 luisses



luisses, vel potius noluisse. Quid enim jucundi-  
 tatis afferre potuit ad spectus ille? nisi forte juvis-  
 sent te cymbula illa ὑγερὰ κέλευθα ὡς καὶ ὄμνηρον  
 εἰπεῖν, navigantes & vectores trajicientes? meus  
 certe ad Urbem adventus non potuit incidere in  
 tempus incommodius, quodq; magis negotiola  
 quedam mea, & reditum retardaret: certum  
 est enim tam diu hic manere, dum importuni  
 isti imbres penitus remiserint. De Bencio, pu-  
 det me, sed fatendum est: bis tēve ad summum  
 eum salutavi, partim illius, meis partim occu-  
 pationibus impeditus, partim etiam aquosa hie-  
 me, qua me totos dies domi desiderare interdum  
 cogit, & nisi nescio quid libellorum mihi para-  
 sem, otio contabescerem. Amat te amore non  
 vulgari, idq; merito tuo, ut ex prima congressio-  
 ne, cum in tui mentionem incidissemus, cognovi:  
 itaque non erit mihi in eo laborandum, ut il-  
 lum tibi retineam; tuā enim virtus facile ipsa  
 per se, & illum retinere, & alios ejus nota ho-  
 mines tibi conciliare poterit. Dixit mihi quo-  
 que tunc, velle sese paucis post diebus mittere  
 ad te Orationem suam, & eo pacto tarditatem  
 respondendi ad nescio quid tuarum litterarum  
 compensare: quod miror ab eo factum non fu-  
 isse. Oratio enim illa jam pridem edita est; ita  
 ut sit ἔωλος: sed exciderit homini fortasse, variis  
 in rebus occupato. De Poëmate vero frustra ex-  
 pectas, quod ajunt, cogitationē istam imprimendi  
 nescio



nescio quã ob causam abjectam esse: nec desunt,  
 qui dicant, si edatur; non usquequaq<sub>3</sub> ab omni-  
 bus probatum iri, quod Bencius scribendis jam-  
 bis excellat, heroicis carminibus non item. Mi-  
 hi certè sive jambum, sive heroicum carmen  
 pangat, sive quicquid scribat denique, mirè  
 placet, proximeq<sub>3</sub> αὐτὸς τὴν ἰσοφίαν magni Mu-  
 reti accedere videtur. Alia quæ te habere in-  
 nuis permulta, quæ scribas, vellem tibi per oc-  
 cupationes scribere licuisset: miram enim inje-  
 cisti cupiditatem. Et nisi vererer molestiam ti-  
 bi afferre, quod tuarum prælectionum tempus  
 instat, contenderem abs te, ut ea ad me subtilius  
 mitteres: sed vide obsecro te, ne excidant: confi-  
 ce ὑπόμνημα, ut cum ego rediero, sitientes tu na-  
 ctus aures, omnia exhaurias. Ego quoque ali-  
 quid novi afferam, atque adeò multa de erudi-  
 tis viris, qui in Urbe vivunt, deq<sub>3</sub> aliis ad stu-  
 dia nostra pertinentibus, quæ te libentius multò  
 auditurum puto, quam cetera omnia: deq<sub>3</sub> me  
 ipso conjecturam facio, & ita horas aliquot mul-  
 ta cum jucunditate traducemus: nuncq<sub>3</sub> ipsam  
 ego illius temporis voluptatem animo anticipo.  
 Interim ama me, ut facis, quod mutuo facis,  
 quodq<sub>3</sub> in animo habes, perfice, avaritiamq<sub>3</sub> istã,  
 quæ tantum tibi negotii attulit, ulciscere quo-  
 quo modo potes. Bon tempium, postquam tuas ac-  
 cepi litteras, non vidi; cum primum videro, sal-  
 vere a te jubeo, reddamq<sub>3</sub> paria paribus, quod  
 illo



ille me superioribus diebus tuo nomine salutavit. Vale. Roma. 4. Id. Jan.

---

JOANNI PAULO TETIO  
CANONICO.

**A**udio, nostrum Episcopum proximo die Dominico pransurum apud nos, non etiam de nostro, opinor; potius de suo nos: cum eo Prætoræ urbis ajunt fore; cupidum spectandi edes nostras. Ea gratia dedi Collegæ meo negotium conficiendæ homiliæ, quam quidem inter prandendum haberi volo, hoc est, quasi alterum prandium dari auribus, alioqui feriaturis, in magna ceterorum sensuum occupatione & voluptate. Ante tamen pro jentaculo seu antepandio, paravi versiculos aliquot, quos in primo atrio recitabit Hieronymus noster. Cupio te, vel cum incommodo tuo aliquo, non dico epulis, in quibus nec ullum tibi esset incommodum, & mihi jus nullum est; sed tantummodo versibus interesse. Possum etiam, si velis, præbere tibi prandium in meo cubiculo, nempe ea ratione, quæ præbemus Episcopo, ut cures ipse afferendum, quod mihi tibiq; satis sit. Vale. Ex Collegio Seminarii.

---

MARIO FRATRI, ANTRIAM.

**G**estio renarrare tibi ea, quæ hodie Tetius mihi narravit, si quid te quoq; juvare possint



sint ad tristes curas abigendas. Cùm dico Tetium narrasse aliquid, quod me insigniter delectarit, satis intelligis, non me de puero auditore tuo, sed de illius avunculo, mei tuiq; studiosissimo loqui, fo. Paulo. Eram hodie conturbatior, ut ferè soleo post labores hebdomadarios: sive hoc superiorum dierum defatigatio facit; sive, quod magis credo, angit me Deus, quo die maxime sine alieno malo pœnas luo. Quicquid sit, nescio quo tædio affectus, dimisso ad prandium Hannibale, in tuo cubiculo, in tuo lectulo decubueram, istuc potissimum animo recurrente: cùm ecce tibi Tetius, qui cum subito in cubiculum irruisset, Quid hoc est, inquit, quòd hunc Bonciarium nunquam domi reperio? Ecquã tanta dulcedo est, hac illac quotidie per urbem cursitandi? Imò verò, inquam, etiã extra urbem: dudum enim redii ab Antria, multum ac diu cum Mario fabulatus; à quo te habeo salutare. Cùm igitur adsedisset, & me consurgere prohibuisset, plus horas duas dulcissimo sermone consumpsimus: nosti hominis facilitatem, suavitatem, leporem. Quid multis moror? deseruit me omnis sollicitudo, & pristina hilaritas, haud scio unde, neq; qua via, confestim rediit. Inter cetera narravit mihi de binis pueris, qui triduo antè accesserant ad Episcopum, minoribus ordinibus initiandi: quorum alter, quarente Episcopo quid disceret, quantumq; in Grammaticis

I

pro-



progressum fecisset: Ego, inquit, praeceptoris di-  
 ctata latine reddo. At per quam regulam? Per  
 neutrum, inquit, similium copulativum. Quid  
 istuc verbi est, similium copulativum? ediffere  
 nobis planius. Hic vero haerere puer & fronte  
 iterum atq; iterum perfricata, urgentibus qui  
 adstabant, & moram increpantibus, ita demum  
 respondit: similium copulativum, id est, utri-  
 usq; sexus. Tu cogita quantam hac responsio ma-  
 teriam ridendi praebuerit. Erat Tetius inter septe-  
 m viros, excutiendis sacrorum ordinum candi-  
 datis ab Episcopo lectus, qui conversus ad colle-  
 gas: nihil, inquit, responderi potuit argutius:  
 nam ea demum est vera & genuina copula re-  
 rum similium, qua inter se conjunguntur ani-  
 malia utriusq; sexus. Jam audi alterum mino-  
 rem natu puerum, sed indole meliore: cui cum  
 esset imperatum, ut locum quendam explicaret  
 ex epistola Ciceronis, quam pridie de Magistro  
 audierat, interrogatus ab Episcopo, ecqua pars  
 orationis esset vox Quamobrem? Nomen est,  
 inquit. Quo casu? Accusativo. Sed Redus cu-  
 jusmodi est? inclina nomen per suos casus. Tum  
 puerulus aliquandiu cunctatus, ac nescio quid  
 secum murmurans, erecto vultu, fidenter ait,  
 Nominativo, Quamobér. Genitivo, Quãobris.  
 Dativo, Quamobri. Accusativo, Quamobrém.  
 Quid queris? Risu diffuere, quicumq; aderant;  
 mirari omnes inquisitores, & supra virorum re-  
 è



Etè dicta, puerile erratum tollere: Praesul verò hoc amplius: *Quam vellem, inquit, Magistrum mihi tuum dari. Expostularem cum eo acriter hoc peccatum, quòd tantam indolem ipsius culpa hebescere & corrumpi video. Hinc querelæ omnium, nec ea quidem, ut remur falsa in nostri ordinis litteratores; quos neq; studio, neq; doctrina conferèbant cum iis, quos ipsi pueri audiere, Sassis, Camenis, Grifolis, aliisq;. Sed ego longius profectus sum: & cavere oportet, ne, si quid voluptatis levicula ista facetie instillarunt, id epistola longitudo exhauriat. Vale. Perusie 12. Cal. Quint.*

---

FULVIO URSINO,  
ROMAM.

**S**uperioribus litteris, quas dederam Alexandro Bontempio ad te perferendās, fugit me querere, vir Clarissime, num tibi molestus essem futurus, si quando rogarem, ut locum aliquem ex veterè historia, vel ex antiquis tam Latinorum, quam Græcorū monumentis, quem ego scilicet non intelligerem, mihi exponeres atque explanares. Porro sumus Perusia in tanta penuria hujus generis litteratorum, ut si quis paulò humanior, tale aliquid scire expetat, non ferè alio sese conferat, quam ad me. Ego verò quod muneris atque auctoritatis mihi attribuitur tueri non possum, propter ingenii doctrinaeque



*naq̄ tenuitatem, nisi ipse alium rogem, qui mihi  
 praestet longo intervallo, discamq̄ hoc modo ab  
 aliis, quod subinde alios docere debeo. Vel proxi-  
 mē adolescens de summo loco, & hujus Gymnasia  
 longē princeps, Julius Farnesius, allato ad me  
 Aemilio Probo, quem Dionysius Lambinus cō-  
 mentariorum mole oneravit, & Cornelium Ne-  
 potem transnominavit, cū multa hinc inde à  
 me quasiisset; hanc semel atq̄ iterum in Vita At-  
 tici: primum ibi, Domum habuit in colle  
 Quirinali Pamphilanam (sic enim Lambinus  
 legit, non Pamphilanam) ab avunculo hære-  
 ditate relicta: cujus amœnitas non ædificio,  
 sed sylva constabat: ipsum enim tectum an-  
 tiquitus constitutum plus salis, quàm sum-  
 ptus habebat. Quid est, inquit amicus meus,  
 Plus salis, quàm sumptus? Respondi me arbi-  
 trari, hanc esse hujus loci sententiam, tectum il-  
 lud fuisse commodum atque utile magis, quàm  
 elegans aut decorum: Plautus, ni fallor, hujus-  
 modi domos, usu quam specie potiores, solet di-  
 cere: quod genus etiam Sallustius usurpavit in  
 Jugurtha. Ceterum negavi me scire unde illud  
 proverbiale genus loquendi ductum foret. Idem  
 Nepos paulo post, Supellex, inquit, modica, non  
 multa, ut in neutram partem conspici posset.  
 Lambinus negat, hanc scripturam esse inte-  
 gram, & aliquo modo explendam, aut mutan-  
 dam, aut delendam censet. Mihi tamen venit*



in mentem ita explicare, ut verbum, *Conspici*, non sit tantummodo aspici aut videri, sed conspicuum atq; insigne esse tam ad laudem, quam ad vituperationem. Memineram namq; huiusmodi genus loquendi cum alios veteres, tum apertissime Ovidium usurpasse lib. 2. de Tristibus, ubi de domo & fortuna sua loquitur:

Et neq; divitiis, nec paupertate notanda est:

Unde fit in neutrum conspicendus eques.

*Etiam T. Livius libro 21. de Hannibale: Vestitus, inquit, nihil inter aequales excellens: arma atque equi conspiciebantur: pro Conspicua erant, ut exponit Sigonius. Hannibal enim cum ceteris in rebus à privato milite nihil differret, armis tamen atq; equis insignioribus utebatur. Verum non ante mihi probabitur explicatio mea, quam resciero, te hominem in omni iudicio doctrinaq; elegantissimum comprobare. Quam vellem mihi saltem cum tuo puero amanuensi aliquid necessitudinis intercedere: darem ei negotium, ut tempus observaret tui appellandi, ac si quando tibi otium esset a studiis melioribus, ista talia mihi exciperet, atq; cum fide scriberet: nihil enim minus volo, quam te a gravissimarum rerum tractatione avocari ad nugas meas. Vale. Salutat te vetus amicus, qui proximè dies plusculos mecum atq; cum Ansideo fuit, Augustinus Angelellus. Perusia.*

I 3

Gui



## GUIDO SENSIO.

ROMAM.

**T**E profecto, exaravi litteras ad Mannucium, qua sane, si unquam alia, auxilio tuo egent, a quo non solum verbis ornari, sed etiam excusari se postulant. Ego ad amicitiam tanti hominis flagrantissime cupio adspirare, praesertim a morte Bencii: sed eam, si optio detur, ne vivam, si malo litteris meis, quam verbis tuis acceptam referre. Te autem par est, Guide, qui mihi superioribus diebus gravissime egrotanti plane vitam reddideris, nunc ea addere, quae sunt ad vitam: cujusmodi scis mihi nihil omnino relictum esse, praeter clarorum virorum, id est, tui similium benevolentiam, quae si mihi contingat, non valde habeo, cur accusem cecitatem, reliquasque calamitates atque erumnas meas. Vale. Jacobus noster plurimam tibi salutem adscribit. Perusia. Postrid. Id. Novembris.

## ALDO MANNUCCIO.

ROMAM.

**F**era nulla est, quae tam lente partus suos edat, quam ego litteras ad magnos viros, sive mihi animos minuatur conscientia obscuritatis meae, sive timorem faciat contemplatio claritudinis alienae. Biennium est, aut eo aliquid amplius, cum Balthasar Ansidanus, vir eximie litteratus, tibiq;  
ut



ut audio, amicissimus, poposcit à me orationem  
 quandam meam, ut tibi ostenderet. Negavi  
 daturum me; quod erat nimium vulgaris atq;  
 incompta, nec satis digna, quæ oculis & iudicio  
 tanti viri subjiceretur. Tamen ille non destitit  
 petere, usq; adeò donec extorsit, Romam aspor-  
 tavit, tibi legendam tradidit. Mihi verò postea  
 renunciavit, legisse te non invitum, atque adeò  
 egisse sibi gratias, quòd eam attulisset. Hoc ille  
 utrum ad nos verè retulerit, an quò se plus vidis-  
 se ostenderet, qui eam tibi pergratam fore affir-  
 maverat, incertum habeo: sed pendeo facilius  
 in hanc partem, ut ad gratiam locutum putem.  
 Ac mihi nihilominus in mentem venerat, ex eo  
 capere occasione scribendi ad te, neque amitte-  
 re eam facultatem, quam fors obtulisset, si non  
 aliud, certè ostendende perveteris observantia  
 erga te mea. Quod tamen officium vides in quã  
 usque diem distulerim, per pudorè mne, an per  
 inscitiam, nescio: illud scio atque confirmo, iam  
 inde à puero nihil mihi fuisse optatius, quam ut  
 quoquo modo declararem primùm erga te, dein-  
 de erga Manes ipsos majorum tuorum, propen-  
 sionem atq; affectum meum. Sed mihi nescio quo  
 modo verba non suppetebant; neq; illa tanta cu-  
 piditas, ut sepè animum stimulabat, ita etiam  
 adjuvabat ingenium. Enimverò cum mihi pro-  
 xime Guidus Sensius, homo mei amantissimus,  
 & tibi maxime conjunctus, nihilo pauciora neq;



minora de tua humanitate atq; facilitate commemorasset, quam quae antea de litteris tum ex multorum predicatione, tum ex aeternis ingenii tui monumentis perspexeram: ipse mihi animos feci, & hanc volui qualemcumq; significationem meae voluntatis dare, haud magni estimans eam jaecturam, quam vel ingenii, vel iudicii essem facturus. Prorsus enim ita mihi persuadebam, dum id efficerem, quod deberem, non valde esse laborandum, si quid minus ex voto caderet, & potiore officii, quam ingenii laudem esse oportere. Quod si praeteritum tempus repetere vellem, & pueritiae memoriam recordari ultimam; ita reperiebam, quantulumcumq; in his litteris profecissem, in quibus juveniles annos consumpsi, hoc ferè totum vobis Mannucciis acceptum esse referendum: quamquam enim egregius Pater tuus, quem merito instauratorem, atq; adeo parentem alterum latinae linguae possumus appellare, ingenii sui divitias in commune contulit, & in oculis omnium explicavit: tamen ego à prima aetate tanto studio, tantoq; ardore animi ejus quidem omnia scripta, sed in primis Epistolas & praefationes pervolutavi, ut eum non adiutorem mihi, sed ducem atq; magistrum fuisse sentiam ad haec studia excolenda: ut silendo non solum inofficiosus atque agrestis, sed etiam parum gratus videri possim. Jam quoniam beneficium hoc apud ipsum, à quo acceperam

RAM



ram testari ac profiteri mihi non licuit propter  
 etatem (eram enim admodum puer, cum ille mi-  
 gravit è vita) certè par erat, me hoc quasi es alie-  
 num, quod patri non indicassem, id aliquando  
 tandem apud heredem filium confiteri: quod fa-  
 cio, & me totum in ere tuo esse tam clarè diser-  
 teq; pronuncio, quàm libenter apud alios soleo  
 predicare. Tuum est, vir humanissime, vete-  
 rem debitorem tua familia, ultrò aperientem se-  
 se, ac, quoniam solvendo non est, se nexu tibi tra-  
 dentem, non rejicere, sed potius inter clientes atq;  
 cultores tuos locum illi aliquè assignare, & qui-  
 dem supremo quàm infimo propiorem. Vale. Pe-  
 rusia, postrid. Id. Novembr.

---

ALDUS MANNUCCIUS  
 M. ANTONIO BONCIARIO, S. D.  
 PERUSIAM.

ET orationem tuam, quam Ansideus ad me  
 misit, libenter legi; & carmen, quod Sensius  
 attulit, libentissime. Gratulor tibi in genere lon-  
 gè diverso, equalem tum sciendi, tum scribendi  
 facultatem. Quam quidem etsi nō tu alii, quàm  
 tibi & ingenio tuo acceptum referre debes; ta-  
 men lator, atq; ago gratias, quòd cum majoribus  
 meis communicas tuam laudem, & eo nomine  
 debere te aliquid nobis heredibus ultrò predicas.  
 Dignissimus verò es, à quo nihil repetatur, etianè  
 si plurimum nobis debeas, qui præcipuè nihil de-  
 bes,



bes, quando, id quod rarissimum est, tum ipse es alienum, creditore non exigente, non sciente, profitearis. Et quia te tantopere nostra delectant, expecta paucis diebus trium epistolas Mannuciorum, in unum a me volumen collectas: interea hunc habe, qui cum ceteris non est editus, nec edetur, quasi pignus amoris ac fidei, paternum foetum: cujus longitudo meam brevitatem, elegantia ruditatem compensabit. Vale. Roma. 1594.

---

CÆSARI CRISPOLTO  
INSENSATÆ ACADEMIÆ  
PRINCIPI.

**S**ecretò hoc audi, bone Cesar, atq; habetecum: non Ubaldo dixeris, non Alberto: in primis autem celetur Palettarius; tantisper certe dum re discussa, constitueris gratificandum mihi existimes nec ne. Cupio me in vestram Academiam cooptari, & quidem te Principe. Hem, inquires, ambitio. Quid ego faciam si tot corporis devastamenta, robur quidem minuunt, & vitiant valetudinem; ambitionem verò etiam acnunt? Sed mitte de voluntate: rem puta: quam libens arbitrii tui facio. Dices, Cui tu nobis usui claudus, mancus, cecus? opinor nulli; siquidem in stadio currendum sit, aut luctandum in arena, aut jaculum in destinatum orbem intorquendum: sin autem verbis agenda res est.

est.



est, possim fortasse eò minus inutilis videri, quò  
me magis ista deficiunt. At ne ad agendas qui-  
dem gratias, qui mas est omnibus, possum istuc  
venire: certè non possum, neque a foro, via de-  
clivi, & meis pedibus valde incommoda; neq;  
a Palettario, via multò longiore, non multò com-  
modiore propter acclivitatem: tametsi mihi  
quidem, quod scio te miraturum, adscendere fa-  
cilius est, quam descendere: quæ res non meam  
firmitatè designat; sed potius vitia corporis mei  
planius declarat. Audio de mulionibus, quæ ju-  
menta probare volunt, ea solere per pronum tru-  
dere, ut vitia, si qua sunt, facilius internoscant:  
qua ratione me vitiosissimum jumentum ha-  
beas liceat. Ergò revera non nisi agerrimè ad te  
potero perreptare. Non agam igitur gratias?  
Imo sanè, per internuncium, sive mavultis,  
hoc modo per scriptas litteras, aut verò ne agam  
quidem, sed referam; quomodo Hesiodus præ-  
cipit, mensura etiam cumulatiore, quàm à vobis  
accepero. Presum, ut vides, agro colendo, cuius  
neq; amplitudinis, neque bonitatis me pœnitet:  
hinc mihi facile est quotannis arbusculas ali-  
quot ad vos transferre, & seminia omnis gene-  
ris commodare. Quæ mea promissio ne te fru-  
stretur, queso cogita, ac tecum reputa, qualem  
jam nuuc arrabonem ceperis, Mariotelli, Palet-  
tarii, Lancellotti, Oliva, aliq; plurimi, unde sci-  
lices in istum agrum, cui tu colendo prepositus  
es, im-



es, immigrarunt, nisi à nostris hortulis & planta-  
 riis? sed quid ego alios commemoro? Tu ipse hu-  
 manissime idem, atq; doctissime Crispolte, tiroci-  
 nium penes nos deposuisti, & me qualemcunq;  
 formatorem pueritiae tuae, adeò non erubescis, ut  
 etiam soleas gloriari: in reliquum verò tempus  
 etiam uberiores ingeniorum proventus mihi  
 audeo polliceri: siquidem Pastor accuratissimus  
 ampliori pecori recipiendo caulas extruit, in quã  
 curam vehementer videtur incumbere. Locus  
 est in parte urbis editiore, quæ Septentrionem  
 spectat, & urbem ingredientibus ad levam oc-  
 currit, propè in ipsis manibus, contra sacram  
 adem, cui ab S. Antonio de Padua nomen est.  
 Ibi jam absoluta sunt cubicula circiter triginta,  
 quæ parem numerum puerorum recipere pos-  
 sunt. Neq; enim abest quicquam, quod ad inco-  
 lendum attineat, cella vinaria, triclinia, horrea,  
 & quaecunq; non modò ad còmodum, sed etiam  
 ad voluptatem & remissionem animi pertinere  
 videntur, in his area, quæ in longitudinem pedes  
 octoginta complectitur, in latitudinem propè to-  
 tidem: ubi verò insula tota erit exaedicata, cen-  
 tenos eoq; plures contubernales capere poterit:  
 quod quidem hoc triennio, vel quadriennio per-  
 fectum iri putamus. Docendis autem pueris me  
 videlicet & fratrem destinant, certè cum aliquo  
 meo incommodo, quod novarum adium usum  
 nullum habeo, & propter extinctam aciem ocu-  
 lorum



lorum non facile mihi paravero. Adde quòd longè summotus a foro, veteres amicos, qui ad me sæpe veniunt in Seminarium, loco incommodiore, valde sum desideraturus. Verùm tamen in molestia gaudeo, quod industria mea, qualiscunq; ea sit, ad quamplurimos pertinebit: quos in tempore non modo huic civitati, sed etiam toti provincia valde utiles fore confido. Ex his ne unum quidem paulò eruditiorum scio fore, quin se ubi primum poterit ad vestrum cœtum aggregari velit. Vides igitur, quòd apud me beneficium collocabitur, id ad vos rediturum cum multo fœnore. Sed fac me nulli vobis usui fore: non ob eam causam instituta sunt nobiles Academia, quo quidquam ea via lucrari velint, sed potius ad eos locupletandos augendosq;, qui se in conventus ejusmodi cooptari volunt. Itaq; vos quidem Insensatos recipitis, id est quoquo modo debiles & imbecillos, ut firmitatem ac robur à vobis capiant: qui si vestrum institutum retinetis; possim vobis probare, non esse alterum digniorum, quem ultro in vestrum gregem recipiatis. Propterea quòd si quò quisq; insensatior est, eò faciliorem ad vos aditum habere debet: jam scito, tantam me sensuum fecisse jaçturam, ut tecum quoque possim contendere Archinsensato. Porro sensuum maxime nobilis est visus; tactus verò maxime necessarius: neq; enim sine tactu constare animal potest, sine visu potest: nam præ-



ter talpas, aliasq; animantes aeterna vel cecitate vel surditate damnatas; ostrea neq; vident, neq; audiunt, neq; olfaciunt; sed tactu vigent, gustatu tenuissimo. Scis autem me, prater cecitatem, etiam isto sensu laborare, sic, ut nudis manibus, nudis pedibus calidam & frigidam non internoscam. Quamobrem cum ego sensuum hebetudine omnes vincam, non dico tantum de grege vestro, sed hinc ad multa passuum millia quoscunq; aut vidimus, aut audivimus: vides me, vel si repulsam tulerò, fore nihilominus Insensatum. Vale, ex Seminario, Cal. Septembr. 1592.

## E I D E M.

**O**Rationem à Dionysio vestro habitam (vestro, inquam, te fratrem jungens cum Palettario preceptore) audiui sanè majore cum voluptate, quàm aut ego, aut quisquam opinari posset. Cùm enim in actione duo sint, vox & gestus; videbam quæ ad vocis sonum attinent, ea mihi cum ceteris auditoribus fore cõmunia; quæ verò in gestuum moderatione ac venustate sita sunt, hæc qui crederem ad cacum posse pertinere? Sed audi rem incredibilem. In fratre tuo audiendo, ne hæc quidem mihi voluptas defuit, quæ unis oculis potest percipi. Neq; hoc dico, quia frater erat tuus, idcirco ejus orationem à deo mihi complacitam, quasi, præ meo in te studio, dicentem viderim, non duntaxat  
auscul-



auscultaverim. Ego neq<sup>3</sup> istuc dico quamquam  
 verissimum, neq<sup>3</sup> huic simile quicquam tritum  
 aut vulgare. Sed hoc affirmo, cum cetera oris  
 ac corporis dignitate & venustate, in qua sunt  
 omnia, lenes etiam atq<sup>3</sup> hilares coniectus oculo-  
 rum a me, nullius admonitu, sine oculis esse ani-  
 madversos: quippe quam primam vocem hausi,  
 quod esset illi tua persimilis, revocatus sum in  
 memoriam eius temporis, cum te puerum in il-  
 lis nostris, quamquam multo humilioribus tuis  
 dicendi, tum differendi exercitationibus, cum  
 Ubaldo atq<sup>3</sup> Baldellio continerem. Itaq<sup>3</sup> per to-  
 tam orationem non fratri, quem ferè non memi-  
 ni me videre, sed tibi visus sum operam dare, &  
 illam tuam dicendi suavitatem leporemq<sup>3</sup> longo  
 intervallo regustare. Atq<sup>3</sup> est tamè, quod in fra-  
 tris pronuntiatione correctum atq<sup>3</sup> limatum ve-  
 lim: de quo tamen cupio non cum alio, quam  
 cum illo ipso coram communicare. Sic intelli-  
 ges, qua ad rationem pronuntiationis attinent,  
 cecos non solum iudicare, sed etiam docere. Fac  
 valeas. Ex Seminario.

---

 VINCENTIO PALETTARIO.

V Enit ad te, Vincenti, Guarinus meus non  
 sine trepidatione ac metu. Quid verò, in-  
 quies, apud me trepidat? nō dixti ei de mutuo no-  
 stro animo, deq<sup>3</sup> fraterna benevolentia? Dixi  
 pleraq<sup>3</sup> omnia, neque quidquam omisi, quod ad  
 secun-



securitatem hominis pertineret. Sed non est hoc  
 Grammatico quisquam aequè meticulosus; sive  
 illi pristinae fortunae recordatio, sive praesentis vi-  
 tae quasi precaria usura timorem faciunt. Fam-  
 audi, quo modo se res habet, & timendum necne  
 fuerit, tute judica. Ego hunc hominem, ut scis,  
 penè ex ipsis inferis revocavi; & revocavi ea  
 conditione, ut duntaxat viveret apud me, aliò  
 eundi potestas non foret: si non fecisset, immine-  
 re homini duplex periculum, unum domesti-  
 cum, externum alterum, à Saxis inquam, atq;  
 à Scopis: has enim finitimae civitates, ut audio,  
 comparant, Asinates, Fulginates, Nucérini,  
 Nursini, & praeterea Picenum totum: saxa ve-  
 rò populares nostri congerunt. Nosti morem Pe-  
 rusinae juventutis: hi se per ludum etiam jocumq;  
 saxis appetunt, nedum putes in re seria tempera-  
 re sibi posse ab hospite propulsando, cum quo sci-  
 licet jam pridem fregerunt tesseram. Et exter-  
 num quidem periculum facile devitabimus co-  
 lendo urbem, nec temerè hac illac discursando.  
 Ceterum magis nos movet intestinum malum,  
 perpeffu gravius, cautu difficillius. Itaq; vel do-  
 mi se continere necesse est; vel certè non aliò,  
 quam ad te ire: vides enim quam leve subsidium  
 sit in Boncio, primùm testaceo, mox etiam inter-  
 polato & quasso, adversus ingruentes saxorum  
 ictus. Qui mirum, ni primo impetu diffringa-  
 tur, & meus hospes undiq; appetitus, quasi maje-  
 statis

statis



statis reus, obruatur lapidibus, atq; ad inferos retrudatur. Quod si tu nihilominus manu-consertum nos vocas, scias unicum esse presidium tuam Palettam: ea nobis pro tutissimo tegumento contra imbrem saxeam; tibi novo Herculi pro clava erit contra Lernaam pestem: quo in praelio si laboraveris, habes optimos & fidelissimos adjuutores, ipsos quoq; monstrorum subactores atq; orbis vindices, Dionysios, inquam, & Casares. Quis non metuat à tali tantoq; triumviratu? Certè Guarinus, me auctore, plus in vobis spei habet, quam in hoc exercitu togatorum, vel palliatis auxiliariis, quibus hominem meus Marius, ut videbis, initio commendavit, atq; tuendum tradidit; licet utriq; suum studium egregiè nobis probent. Tu majore hortatione confirmandus non es, quam ut Vincentium te esse memineras: hæc me jocatum putes licet, illud seriò: si censebis è re fore discipulorum tuorum, admittes hospitem non gravatè: ego alibi quam apud tuos, in pretio esse non laboro. Ex tribus autem exemplaribus unum Dionysio à me des velim: alterum Casari, sed non a me: qui quidem amico magno tenue munus offerre ausus non sum. Vale. 3. Cal Decembris, 1592.

---

E I D E M.

**M**I Palettari, degustes velim hoc sive jentaculum, sive antecenium, non carneum, sed

K

potius



potius herbaceum, imò verbaceum, quod pueris meis paro, antequam ad illas multò uberiores lautioresq; antiquorum epulas admittantur: itaque huic meo Introductoris nomen atque officium dedi. Misi autem non totum edulium, et si erat non magnum, sed, ut potes conijcere, circiter partem tertiam: ut, si fortè in scitum aut amarum sit, minus molestie habeas, in tantillo mea causa devorando. Memini autem, cum tecum quedam communicarem de Grammaticis, fuisse mihi utile consilium tuum: Et nunc scio fore tanto utilius, quanto tu melior Orator es, quam Grammaticus. Vale.

---

CÆSARI CORNEO, V. C.

**C**Ras opinor, cum Deo bene volente, facturum sum aliquid verborum apud Franciscanos in obitum Bernardini Alfani I. C. cui nostræ laudationi, qualis qualis futura est, cupio te interesse, vel tua, vel Alfani, vel etiam mea causa: nam Et tu audiendis amicissimi hominis, Et Doctoris olim tui laudibus delectabere, Et funus fiet tuo conspectu magnificentius, Et mihi animos facies concionanti. Cave enim putes me unquam timidius, aut etiam periculosius in concionem adscendisse, propterea quòd ad ceteram in valetudinem accessit morbus oculorum, utinam ne perpetuus, nunc certè tantus, ut nullam litteram aut scribere, aut legere mihi liceat:



liceat: neque licuerit ab eo die, quo in Acronem inauspicato sum inuectus. Fratrem sum usus, cui partim è lectulo, partim etiam intra fines cubi-  
culi, nixus baculo inambulans dictavi oratio-  
nem. Ita ego, mi Patrone, quò antehac non  
sum ausus facere oculatus, ut quemquam pro  
concione laudarem, id nunc me cogunt propè ca-  
cum, imò verò, ut arbitror, etiam necesse ha-  
bebunt, a te mihi currum petere, & me subli-  
mem trahere in suggestum: nosti enim meos, non  
dico pedes, manus, oculos: uno verbo me expe-  
dio, totius corporis depopulationem. Tecum cu-  
pio esse Caracciolum & Ruveresum, in quos hoc  
sum animo observantior, quò me fortuna ine-  
ptiorem ulli officio prestando facit. Vale Illu-  
strissime Princeps, ex Seminario.

## E I D E M.

**D**Udum peracto sacro, domum redeunti re-  
nunciatum est mihi, Marchionem fratrem  
tuum altero filio esse auctum: quo nuncio ita sum  
delectatus, ut continuo statuerim, hodie quoq;  
accedere gratulatum ad te: & venissem sane pe-  
dibus quantumvis obnitentibus, nisi in tempore  
essem recordatus, quod nudius tertius ex te au-  
dieram, cum digrederer, Centurionum guber-  
natorem hodierna die condixisse apud te pran-  
dium: quem ego talem tantumq; congressum ho-  
mo infimus interventu meo obturbare nò debui.

K 2

Sis



Sic mihi schedulam, fortasse minus molestam, minusq; importunam, quam ego esse potuissem: illam enim potes excludere, si voles, aut etiam ad colloquium non admittere: me (qua tua humanitas est) audeo dicere, non potes. Est autem cur tibi gratuler, causa neq; parva, neq; una: siquidem nō modo filium fratri, nepotem tibi, ut nunc loquimur, obvenisse letor, sed etiam patronum mihi, fortassis etiam discipulum. Accedit, quo gaudium duplicatur, & voluptas cumulatur, quod eo die potissimum renascitur Diomedes, quo die patribus atq; avis vestris summae felicitates evenerunt. Itaq; S. Andream, praeter ceteros, ante multos annos colit, atq; observat vestra familia. Ne illud quidem parvi aestimandum videtur, quod cum toto ferē biennio proximo multa vobis adversa obtigissent, & calamitas alia super aliam incidere: constituisse tandem videtur fortuna, & pristinum institutum favendi, ac morem gerendi vobis ab hoc die velle repetere: qua utinam, qua via currere cœpit, eadem strenuē atq; constanter pergat. Quod ego vestro potius ingenio atq; sapientia, tuaq; in primis, Caesar, animi magnitudine & virtute, quam illius temeritate confisus, & spero, & a Deo omnibus votis petere non desistam. Vale. Calend. Decembris.

F. THA-



F. THADÆO AUGUSTI-  
NIANO.

**C**redo, me die crastino, Divis benè juvanti-  
bus, esse iterum oraturum in exequiis Lau-  
ræ Corneæ. Invito te eò magis, quòd in tanta au-  
ditorum paucitate, quantam fames & morbifa-  
ciunt, unus aliquis mihi exoptandus est, qui  
multorum esse instar possit. Cui mea cupiditatè  
explenda aptiorem, quàm te habeo neminem: li-  
matum enim atque acre iudicium tuum ne ni-  
mium reformidem, facit amor erga me tuus, o-  
lim diu mihi cognitus atq; perspectus. De hora  
si quæris, ne illos quidem qui faciunt, scire arbi-  
tror, sed conjicio decimam tertiam. Ego hoc tibi  
affirmo, quod fuit in mea manu, orationem nihi-  
lo longiorem futuram quàm aut ego sum, aut  
spatium ipsum fuit, quod est datum ad medi-  
tandum. Tu verò, vir præstantissime, istam vi-  
ridem senectutem tuere atque exporrige, quan-  
tum potes, ut hoc officii, quàm tardissimè facere  
pro te habeam. Spero namq; facturum me ali-  
quando: neq; tu opinor, prohibes, aut sperare ve-  
tas, tanto non solum, quàm ego sum, sed etiam  
quàm meus pater est, natu grandior.

Vale. Prid. Non. Ju-  
nii. 1591.

K 3 EIDEM.



## E I D E M.

**N**ostra potius, quam tua interest, vir praestantissime, ut crastina Oratio de scholarum Praeside Nicolao, non habeatur a nostris pueris sine te: abest Episcopus, jam dudum Romam profectus; non Gubernatorem, non Decemviros invitavimus: utrosque occupatissimos esse accepimus: neque ullus est praeterea aut domesticus, aut externus Princeps, praeter eum, quem sibi pueri crearunt ad dies paucos, qui orationi dignitatem atque splendorem sua praesentia sit allaturus. Te auditore opus est: alioqui majorem in modum frigebit oratio. Ergo, inquires, isto modo me abutimini? Et quoniam alios non habetis implendi causa honestiorem locum, ad me confugitis? Ita est scilicet: te abutimur: non negamus. Tamen Et te nihilominus evocaturi fuimus, si multi adessent similes tui; Et si quid in eo peccatum a nobis est, scito, hujus culpa majorem partem tibi tribui oportere: qui cum tua sponte me atque alios honestissimo tuo conspectu sapius ornaveris; dubium nullum reliquisti, quin libentius esses factururus, si rogarere. Quid? num meministi, quod ego certe nunquam obliviscar, quam frequenter, quam amanter olim ad me audiendum majore incommodo, Et via longiore in gymnasium certa hora te conferebas? Nunc vero Et propius absumus, Et tempus diei ad dicendum sume.

sume.



*sumemus illud, quod tibi minus incommodum fore dixeris ad exeundum, ad audiendum. Vale, ex Collegio S. Bernardi.*

---

NEAPOLIONI COMITOLO  
EPISCOPO.

**Q**uem proximè tecum sermonem habui, Antistes optime ac liberalissime, in eo parum planè de meo negotio egisse videor; dico de stipendio præteriti temporis constituendo, & ad quinq; annos superiores certa via & ratione accommodando. Dicam igitur, si potero, planius hoc modo per schedulam, eò libentius, quòd hæc non perinde difficilem ad te aditum habitura erat, atque mihi occupatio tua facit. Res igitur ita se habet: *Quinquennium est, cum ego huic præsum schola: stipendium poposci initio non magnum, scutatos annuos quinquaginta. Gallus Cardinalis facile assensus est; qui etiam illud addidit, certa vectigalia sese velle mihi attribuere, unde plus caperem emolumenti, quam quantum stipendii poposcissem: interea jubet me iis ipsis, quos dixi, annuis quinquaginta esse contentum. Quam conditionem, qui tum in Seminario præerant, qui etiam nunc præsunt, viri spectata religionis & sapientia, non sunt visi repudiare: id ego scilicet cum ex sermone quotidiano facile animadverti, tum res ipsa coëgit,*



*me hoc propè pro explorato habere. Etsi enim nullam certam rationem in tabulas retulerunt, unde possem scire, quantum mihi mercedis decressent dare: tamen toto quinquennio superiore non alia ratione mihi pecunias adnumerarunt, quam qua petiveram, id est, senis quibusque elapsis mensibus, scutatos viginti quinque. Nunc quod a te postulo, quod parum disertè presentitibi exposui, hoc est, non ut quidquam decernas novi; potius ne quid novi decernatur, sed ea mihi conditio maneat, qua initio ostensa est, & solvendis pensionibus confirmata: tum quod antehac bona fide solutum est, id tu scilicet auctoritate tua firmes, & ratum facias. Restat enim extrema pensio, quam nunc debeo exigere: hi sunt scutati viginti quinque sex mensium superiorum, nempe a Calendis Novembris ad Calendas Majas: quos ego nummos cum peterem, ceconomus, qui jam antea constituerat se esse datum, nunc non modo negat, se posse dare; sed ultrò ait, mihi necesse fore grandem pecuniam ei renumerare: decresse te, quos jam exegissem toto quinquennio scutatos quinquagenos, ut ad tricenos senos redigantur: illam verò conditionem quinquagenariam valere duntaxat in annos consequentes: ad eos qui praterierint, nihil attingere. Qua si detractio fiat, pereunt mihi scutati quotannis quatuordecim: hi verò quinquies replicati, summam explent scutatorum septuaginta.*



ta. Quod quidem es alienum tam grande mea tenuitas ferre non potest: suppellex ipsa si vaneat, nec eximam Ciceronem, quem ego unum libenter prodiderim, ut referam gratiam homini minime nobis utili & questuoso, ea, inquam, si tota vanum exponatur, vereor, ut solvendo satisfiat. Tu cogita, quemadmodum iis satisfacere poterō, a quibus mutuam pecuniam sumpsi, ut mihi & fratri res necessarias compararem. Ergo pro tua singulari humanitate atq; benignitate, a qua facile impetravi, ut mihi caveretur in posterum, rogo obsecroq; te, velis etiam de praterito esse cautum, ut exigere paulum illud, quod superest de ratione anni superioris, & beneficio tuo solido atq; integro frui liceat. Non rogabo te pluribus verbis; tum quia nec equitas tua longiorem orationem desiderat, & egestas mea loquitur ipsa per sese; tum etiam quia, cum antè oculis rectè uterer, nunc non utar; non puto te commissurum, ut cæcum mancipium pluris aestimasse videaris, quam oculatum. Cardueles, frigilla, atq; id genus avicularum aestimantur isto modo, ut potiores sint, quæ non vident: Magistrum nemo, opinor, non mallet videntem. Sed vale, tibiq; penitus persuade, quidquid statueris, id mihi & ratum & gratum fore. Ex

Seminario.

K 5

EIDEM.



## E I D E M.

**M**editatus sum, ut mandaveras, de stemmate nascentis Academia: quod tibi exponam paucis. Facio caveam aviariam viminibus contextam, ostiolo patente: intus pono arculam escariam & vasculum ad potandum, plena & undantia: circa hostium velim esse aviculas saltitantes, quæ scilicet escarum potionisq; illecebris sollicitata, in vacuam domum ingredi gestiant, seseq; mutuo videantur hortari ad notas epulas repetendas, cum hac vel huic simili inscriptione, Nusquam Lautius. Nomen vero Academiae mihi vehementer arridet, quod tibi non cogitanti excidit inter loquendum, ut Forusciti nominemur: quæ appellatio quadrat perbellè in singulos Academicos, quippe qui & Collegii, & disciplinae nostrae alumni sunt. Jam ut aliud ex alio incidit: vide num forte hoc alterum tibi probetur, quod mihi non Academia, sed Collegio ipsi videtur aptum. Malus, inquam, citrea, quæ, ut ait Plinius, arbor est toto anno pomifera, aliis cadentibus, aliis maturescantibus, aliis subnascentibus pomis. Grammaticis loco erit versus Torquati Tassi, quem mihi Jacobus noster indicavit, ex Armida pomario,

Mentre che spunta l'vn l'altro matura.

Addam & tertium, quod ita congruit Seminario, ut istam appellationem non aliunde, quam

ab



ab hac similitudine ductam esse oporteat. Estque congeries arbuscularum, quam Plinius plantarium, Columella seminarium appellat: in quo agricola plantas eo consilio serunt, ut alie alio tempore in varias partes transferantur, & deficientibus senioribus substituuntur: has ego velim esse ex oleis, ut agrestium nostrorum mos fert, praesertim cum sit olea inventum Minerva, symbolum pacis & sapientiae. Titulus, Ubi adoleverint: nisi hunc malumus à Davide, In tempore opportuno. Neque nunc pluribus te obtundam, tantum rogo, ut his etiam aliquid cogitationis impertias, & arbitrato tuo corrigas, mutes, tollas. Profecto enim ejusmodi es, Praesul amplissime, atque doctissime, ut non magis imperio tuo parere, quam iudicio acquiescere debeamus. Vale.

## EIDEM, ROMAM.

**B**revitatem litterarum vel excusat infirmitas valetudinis, vel carminis longitudo compensat: cui quae fuerit condendo causa, paucis accipe. Horatius Lombardellius, vir eximie litteratus, & rei poeticae in primis gnarus, monuit me sub hos dies, ut poematio nuper edito De sacris foribus, attexerem huiusmodi aliquam conclusionem, & quasi caudam, quo historia non solum amplior, sed etiam ornatior, & auditu jucundior videretur. Longum est si referam, Pater, quibus



quibus ille & quam efficacibus argumentis me ad suam sententiam traducere conatus est; nec tibi nunc quidem ad poëticas disquisitiones certationesq; audiendas otium fore sum arbitratus. Illud potius faciendum esse duxi, quod & mihi utilius, & tempori convenientius, & tibi molestum minus erat futurum, ut carmen mitterem, quale quale per quatrimum effudi, quo scilicet me morbus legitimis docendi laboribus furatus est: non invitis, ut reor, Musis: ad furtum dico, non ad carmen meditandum præsto fuisse Musarum opem: quod tu omnium optime, acerrimo vir ingenio atq; iudicio considerabis. Feci autem non gravate, ut quo tempore sacra janua esset claudenda. Carmen quoq; de sacra janua elauderetur: nisi verò ad te libenter, quia in proximis ad nos litteris, tale aliquid a me exigere census atq; tributi nomine videbaris: nec me vulgare pretium rei terruit, scientem, pluris mihi esse debere imperium tuum, quam gloriam meam, & officii, quam ingenii graviores esse jacturam. Vale. Perusia.

---

P. HORATIO TURSELLINO.

**I**am diu expecto, humanissime idemq; doctissime Turselline, dum casus aliquis aditum mihi aperiat ad amicitiam tuam: non enim audebam homo ignarus & ignotus, ultrò me offerre, & ad ignorantiam, que alioqui excusationem  
mereri



mereri potuit, gravem culpam adungere temeritatis & impudentia. Utinam viverent, carissima quondam mihi capita, Franciscus Bencius, & Alexander Possevinus: non opus esset alio deprecatore. Erat uterq; optimus testis mea in te observantia: neq; est mihi ullum dubium, quin si me alteruter obtulisset, essem hodie de tuis, nec opinor in turba: & egeram ego quidem cum Possevino, qui biennium apud nos docuit, ut me tibi amicum daret: atq; ille receperat sese cum primum Romam redisset, quod propediem fore sperabat, esse facturum. Interea solatii locofuturam, dedit mihi de tuis lucubrationibus legendam fabulam longè elegantissimam, qua tantum abest, ut desiderium tui lenierit, ut etiã magis magisq; accenderit, accendatq; in dies: itaq; fui homini ab eo die, multò quam antea, molestior, ut me tibi per litteras commendaret: nō posse me longiorem moram æquo animo ferre: qua tua scripta mecum communicarat, ea adjuvare testimonium suum, non mitigare ardorem meum. Inter hæc & ille mihi eripitur, & te non habeo. Ne vivam, Turselline, si poterat migrationis sue solatium majus relinquere, quam me tibi, sicut erat pollicitus, adjungendo. Secuta est alia clades, non mea solum, sed publica omnium, qui litteras tractant, Bencii casus, non provisus, non opinatus. Quo ego patre, magistro atq; amico orbatus, tum demum agnovi cecitatem, reli-  
quasq;



quasq; erumnas meas, quarum penè omnem sensum deponebam in unius viri benevolentia erga me singulari & planè paterna. Verùm ego hac non solum frustra queror, sed etiam impertune. Amborum loco fuerit mihi, si me dignum censueris, amor tuus: quem si audacius petere videor, quam me deceat, nullo conciliante, aut iungente: primum non putavi mirum cuiquam debere videri, si amissis procuratoribus, agerem egomet meam causam: deinde neq; istud penitus verum est, accedere me nullo interprete & perductore. Plus triennium est, cum ego liberis tuis ita utor familiariter, ut jam tibi non omnino exterus atq; alienus habendus videar. Quid dico liberos? patrem tuum habeo, patrem, inquam tuum, Turselline, Franciscum Xaverium, cum quo versor assidue: is me hortatur ad poscendam per litteras amicitiam tuam: dum pollicetur, qua ille humanitate & facilitate fuisse a te ostenditur; eandem tibi laudatori atq; imitatori suo non defuturam. Vale, ac si quid proximè ingenium tuum peperit, nobiscum communica: debes hoc libentius, quòd partus tuos, etiam si tuos esse non constabat, amavimus tamen carosq; habuimus: testis est Grammaticus ille Catalogus, quem nos aliquot ante annos, incerto vagantem patre, ideoq; à typographis male acceptum, ultro excepimus, repurgavimus, divulgavimus: patrem quia ipse suum non diceret, non agnosceret, redere

dere



dere illi non potuimus, pariter dubium incertumq; generis sui reliquimus: nunc quando ex tua officina produsse cognovimus, quanto illum nobis amabiliorem carioremq; futurum putas? Id adeo cum postea erit recudendus, adjecto elogio contestabimur. Vale iterum. Perusia. ex Collegio S. Bernardi. Postrid. Cal. Jun.

HORATIUS TURSELLINUS  
M. ANTONIO BONCIARIO,

S. P. D.

**A**ccepi tuas litteras, quibus penè ambiciosè amicitiam expetis meam: & quidem ad eam rem Possevinos, ac Bencios deprecatores desideras. Quorum mihi desiderium ne dies quidem ipsa lenire potuit. Tu verò, Bonciari, longè plus mihi tribuis, quam ego aut agnoscam, aut postulem: sed quoniam quicumq; sum, & me amas, & à me amari cupis; nã ego ferus ac ferreus sim, nisi amem amorem tuum. Itaq; deprecatore aut cõciliatore tibi nihil opus est, ut ad nostram amicitiam aggregeris. Satis es mihi, cum ceterorum amabilitate morum, qui in tua epistola elucent, tum maxime verecundia, blanda conciliatricula commendatus. Hæc quippe adeo te mihi amabilem prebuit, ut, ne si oderim quidem, non amare non possim. Amo igitur complectorq; te, mi Bonciari: & quando ita vis, ad meum numerum adscribo. De liberis, hoc est, libris meis,

quos



quos adeò tibi caros esse scribis, sic accipe. Grammaticum Catalogum meum, istic à vobis vulgatum, quem dicas nescio: nisi forte Nomenclatorem dicas, qui olim ad usum adolescentulorum scriptus, cum mihi excidisset, Roma a quodam editus pervenit in manus hominum, insciente me, utinam sine nomine meo. Verè enim dicam, pudet me, ac vehementer pudet, quantuluscunq; sum, cum istis nugis nomen circumferri meum: presertim vero cum libellus ille ita oblitus mendis prodierit, ut nequaquam meum ipse partum agnoscerem. Itaq; ut olim Carus Augustus Carini filii flagitiis offensus, sic ego exclamavi, Non est meus. Quod idem mihi in Xaverio patre accidit, cum primum est divulgatus absente me: eaq; me res precipue impulit, ut eum multo auctiorem, emendatioremq; denuò ederem presens. Quamobrem te etiam atq; etiam oro quæsoq; ut istum Catalogum, etiamsi meus sit, incerto patre atq; auctore vagari patiaris. Quod profectò facies, si pudori meo consultum, si quid mearum nugarum tibi posthac impertitum voles. Sunt enim quedam in manibus, nuge scilicet, quæ ut spero, in lucem edentur brevi. Tua mihi epistola, si quæris, visa est apta verbis, instructa sententiis, vincula numeris, & quod caput est, scita, elegans, ac morata. Natus factusq; es ad dicendum, efflorescis ad eloquentiam, & ingenii indoles summa omnia pollicetur. Hac ad te in maxi-

mis



mis, & ab hoc Musarum studio alienissimis occupationibus, exaravi. Id ita esse, vel ipsa litura tibi fidem faciunt. Vale. Roma, 4. Idus Jun. Anno 1598.

---

P. HORATIO TURSELLINO,  
ROMAM.

**M**isit ad me P. Valentinus meus Donatum abste opusculum de Particulis lingua latine: de quo non solum amo te plurimum, sed etiam communi totius nostri Collegii nomine gratias ago: quando quidem ad eos, qui sub autumnum adscensuri sunt ad scholas superiores, quantum ego quidem existimo, nihil accommodatius, nihil opportunius incidere potuit: omnino, eruditissime ac politissime Turselline, res literaria tale aliquid a te potissimum exposcebat, ut qui etatem nostram elegantissimis ingenii monumentis illustras, idem de ratione illustrandi poliendiq; sermonis latini precepta traderes: nam illæ demum certissime loquendi regula habebuntur a posteris, quas qui prescribit, idem optime omnium ad usum revocat. Quod negotium nostra, & patrū memoria perversè à nonnullis tractatum videtur esse, cum illi maxime à precipiendo abhorruerint, qui elegantissime scripserunt, ii verò suos canones rationesq; loquendi nobis obtruserint obtrudantq;, in quorum scriptis vix umbram illius prisce ac nativi sermonis

L

agno-



agnoscas: itaq; primum ego quidem mea, meo-  
rumq; causa, deinde etiam publica utilitatis ac  
commoditatis gratia, vehementer te oro atq; ob-  
secro, ut quando plusculum, opinor, debes lingue  
latine, quam hac tibi; ne desinas, pro tua eximia  
facultate Scopia exornare bene merentem. Et a  
studiosis litterarum adolescentibus, duplicem  
gratiam inire, bene scribendo, bene docendo.  
Vale. Perusie.

---

HORATIUS TURSELLINUS  
M. ANTONIO BONCIARIO.

Q Uem nuper libellum meo nomine P. Va-  
lentinus noster tibi misit, eum ego familia-  
ris mei rogatu, ad usum nostri gymnasii subseci-  
vis operis exaraveram. Itaq; ego ipse tanquam  
spurium usq; eò contemnebam, ut cum id quic-  
quid est, ad te munusculi mitterem loco pera-  
lium mittendum sine ulla commendatione cu-  
rarem. Bene tamen cum illo actum est, qui im-  
probatus non sit Bonciario, quem ego in hoc ge-  
nere oculatissimum judico, nisi forte id ipsum,  
quod istiusmodi munusculum probasti, non tam  
puerili dedisti libello, quam benevolentia erga  
me tua. Nam quod me ad majus quoddam,  
majorumq; vigiliarum munus vocas, Et miro  
quodam artificio ad tradendam rationem faci-  
tunde ac poliunde orationis hortaris; facis tu  
quidē amice: sed vide ne videaris facere inique,  
qui



qui quod oneris ipse defugias, id alteri coneris imponere. Verumtamen ( ut tibi me indicem ) id ipsum, quod a me expeti scribis, jam diu melior, non tam meo iudicio, quam imperio eorum, quibus non obtemperare nefas mihi duco. Et si enim video non esse tenuitatis & imbecillitatis mea, tantum onus suscipere, tantum munus profiteri; tamen constitui experiri, num possim, quod posse aliis videor; quo scilicet contentur idem alii qui possunt, si ipse non possim. Quam obrem si vitam viresque, Deus suppeditabit. spero fore, ut hoc quantulumcumque est, munus latinae linguae non diutius debeam, Vale. Roma 11. Calend. August. 1598.

## AUGUSTINO ANGELELLO.

## FABRIANUM.

**M**En' verò mortuum? quis dixit? quis nunciavit? videlicet non me fallit: inhiant homines lucricupidi meis praediis, & his annuis vectigalibus, qua utenda, post diuturnos docendi labores, adeptus sum: opima illa & pinguis sacerdotia, quibus multos jam annos fruor, excitant amulos ad invidiam, & odium mei creant: nimirum egre ferunt, me vivere in magnis deliciis: nec est alia causa cogitandi, & colloquendi tam libenter de mea morte, quam quod hanc vitae felicitatem mihi quamprimum ereptam cupiunt. Ac vide tamen lenitatem meam: nihil



contra imprecor mali; sed opto eos quoque bonis  
 eisdem frui, mecumque participare tantam fortu-  
 nae indulgentiam: imò verò totam, si possim, ad  
 ipsos transfundam libens; ego aliud mihi adsci-  
 scam vitæ genus dissimilium: tantum scire illos  
 velim, si optio detur, nunquam me descensurum  
 ad suas sordes. Verum enim verò, rigantur licet:  
 ego Superis gratia, nunc quidem vivo & valeo:  
 quibus etiam parum abfuit, quin & illud possem  
 adjicere, Video: certè his diebus non nihil spei  
 affulserat, lucis aliquid recuperandi, qua me ta-  
 men frustrata est. Noctu cum magnis articulo-  
 rum doloribus cruciarer, sua sponte diffracta est  
 oculi ea tunica, quam medici corneam vocant;  
 & pupilla in uva modum erupit, quanto cum  
 meo dolore, scribendo ostendere non possum; ge-  
 mendo, ejulando, vociferando ostendi facile. Tu  
 scito, Angelelle, dolores pedum & manuum,  
 quanto anteeunt ceteris doloribus, tantum cede-  
 re ocularibus. Itaque ego quanquam cœperam  
 proxima quoque internoscere, & colores maxime  
 vividos legere: tamen cæcus esse præoptaverim,  
 quam tanto pretio tantillum lucis redimere. Nec  
 frustra votum infelix fuit: riget adhuc in oculo  
 cicatrix, & vis mali dolorem quidem modicum  
 reliquit, diem penitus abstulit. Quò magis igno-  
 scendum habeo istis, qui me mortuum esse vul-  
 gaverant: quantulum enim a cecitate ad mor-  
 tem interest? Vale. Perusia.

EIDEM.



## E I D E M.

**D**olorem tuum, ex mea calamitate susceptum, ita doleo, Angelelle, ut consolandum mihi esse putaverim ea ratione, qua meum soleo consolari. Rogavi medicum, ut mihi ederet nomen hostis, qui proximo conflictu suffoderat mihi oculos. Græcè, inquit, staphiloma & staphili dicitur. Pupugit mentem audita morbi appellatio non segnus, quam morbus ipse corpus afflixerat: veni enim ex dictionis similitudine in cogitationem etruscæ vocis, quæ scuticam atq; flagellum sonat: & putavi, eam cladem supplicii loco divinitus esse immissam, ad mea scilicet flagitia vindicanda. Cumq; hac cogitatione, sicut jaculo, percussus, ita angerer, ut propè animum desponderem: quæ me Græca vox vulneraverat, ea sanavit; diverso tamen modo, quia vulnus etruscum fuit, curatio autem latina. Sta fili, disjunctè accepi, & primum jubentis, alterum blandientis, utrumq; consolantis Dei verbum esse mihi persuasi: nec potui non felicem putare eam plagam, quam Deus fecit, Deus unxit. Cetera satis valeo. A manibus atq; à pedibus dolor abest: abest inquam, si jaceo: nam neq; stare, neq; ambulare licet sine dolore. Munus autem docendi meum adeò nunquam intermitto, ut etiã fortius ac jucundius obeam, quàm solerem: qui antea labor fuit, nunc solatium est. Si nescis,



unus est mihi lectulus pro foco, pro triclinio, pro suggesto. Vale.

## E I D E M.

**D**E Populari tuo, convivore nostro, quid ego toties eadem? Scripsi ad te, scripsi ad patrem, non modo quid sentirem, sed etiam quid conjicerem: neque nunc muto, quia ille non mutat: promissis quidem dives est atque amplius, factis angustior. Etsi prope est, ut ne quid faciat quidem, satis sciam: raro ad Caldorum, ad me ferè nunquam accedit. Quantum quantum aestas, atque hoc anni tempus calet, tamè friget ille in studiis; Et quò acrius vel a patre urgetur litteris, vel subinde à nobis stimulatur, eo lentius ac languidius ultra se fert. Si pater triennium aut quadriennium expectare posset; credo, non pessimè imbutum latinis litteris possem reddere: cave tamen putes paternam gloriam sustinere ac tueri posse. Terentianam fabulam cum Caldoro explicare cœpit: sed cœpit tantum: prologo nondum absoluto destitit, Et plausum petiit. Unis historicis non nihil delectari videtur: Caesaris commentarios non indiligenter tractat, atque in Etruscum vertit: utinam qua ratione ceteros ejusmodi captare soleo, objecta videlicet jucundiore historia, vel fabularum expositione; hac eum quoque capere Et irretire aliquando possim. Sed prorsus nihil spondeo, nihil inquam spon-



*Spondeo, nisi daturum me omnem operam, & undequaq; tenturum laqueos ad hoc mirè varius & fallx ingenium excipiendum. Vale.*

JACOBO MARCHETTO.

R O M A M.

**E**T quod petis à me per litteras, ejusmodi est, quod ego mea sponte jam dudum tradere tibi gestio, rem sanè non magni pretii, Amicitiam meam: & petis tamen eo modo, ut quidvis magnum atque eximium etiam ab invito extorquere possis: nam neq; his litteris tam lepidis, tam disertis, tam amantibus quidquam negare par fuisset: & ego ex multorum predicatione de singularibus tuis virtutibus, ea antè cognoveram, quæ me tibi penitus devinxerant; ut nihil magis cuperem, quam inter nos, jus aliquod nō vulgaris necessitudinis intercedere. Qua quidem in re, quanquam, ut colligo ex tuis litteris, voluntates nostra mirificè cōgruebant; non ago tibi gratias, quia id me roges, quod ego tibi obtulisse mallet: potius agre fero, quod anteverteris: & quando in nobis nulla essent ornamenta, quæ amorem tuum demereri possent, non me saltem occupasse istam laudem, quacunque mihi venire potuit ex te ultrò appellando, & meo in te studio maturis litteris exponendo. Quanquam enim à te per strenuè antecaptum est, quod a me per socordiam differebatur: tamen



non tam gratulor humanitati & diligentia tua, quam irascor cunctationi mea: videlicet vincis me, non solum meritis, quod facile fero; sed etiam humanitate atq; officio, quod omnino non fero. Faxit Deus, ut quoniam in his quasi cunabulis amicitia nostra nihil ferè praestuerim, adultam postea & confirmatam aliquo pacto excolere atque ornare possim. Interea illud me consolabitur, quod mea in te voluntatis, atq; amoris planè fraterni conscius est senex optimus, & tuarum laudum predicator egregius Augustinus Angelellus: cujus testimonio neq; te optare, neq; ego afferre aut certius, aut gravius ullum possumus. Vale. Perusia. Joannem Baptistam Vecchium, sororis tuae filium, etsi admodum puer est, cupio tamè in contubernium nostrum cooptari quamprimum. Non me in doles fallit: scio, facile responsurum vel desiderio tuo, vel exemplo.

---

M. ANTONIO MASSIO

CANONICO.

**A**ndreas Mangionius, popularis atq; auditor meus, suasu & impulsu nostro, parat se ad certamen litterarium obeundum, quod indictum esse audivimus in perendinum diem, pro sacerdotio Insulano, ut sic dicam, remaritando, quod jam diu viduum est, nō ex morte, sed ex repudio prioris viri. Nosti hominem, & rem: illud fortasse non nosti, quod mihi planè credas velim,

Lim,







*tui benevolentiam mihi concilies: debes pro re hanc gratiam, si satis feci: pro animo, si non feci. Vale.*

---

*IN PHILOSOPHIAM à LEONE*

*Mauritio elegantissime descriptam.*

Si spectanda oculis Sapientia detur; amores  
Creditur aeternos posse movere sui.

Sed non est, faciem qui pingere possit Apelles,  
Nec qui Phidiaca ducere membra manu.

Dixit utrumq; Plato; sed & est mentitus utrumq;:  
Cernitur effigies, non generatur amor.

Per te, magne Leo, spirat caelestis imago:

Quis tamen, heu, sancto Virginis igne calet?

---

*FLAMINIO ANCAJANO.*

*S P O L E T U M.*

**F**lliolum ad te meum mitto, Ancajane, quanto minimum inter suos fratres, vel qui editi sunt, vel qui edentur, tanto maximum amoris, & observantiae testem meae. Hunc tu iterum atq; iterum inspicias velim, & miratus industriam meam, castiges ignaviam tuam: quippe ego una opera libris & liberis operando, tu opinor, neutris: ego solus tantulo spatio in tam multis occupationibus, enitor tamen & pario: tu comparem nactus per bonam, altera jam in ita astate, in magno otio magnisq; deliciis, adhuc nullum edundi signum praebes. Venit hoc loco in mentem jocus Alberti, poetae illius egregii, qui cum paulo ante duxisset uxorem, egoq; post gratulationem ex eo

*que.*



quarerem, *Quid Musa? Non est, inquit, res mihi cum Musis amplius, sed cum Venere. At quero, inquam, quos in presentia libros tractes. Nullos inquit, præter unum, de generatione. Tu vero Flamini, ne istam quidem, ut apparet: atqui jubeo te, vel continuo redire ad perdiscendum, vel parare, qui possint discere. Magistrum tuum etiam atque etiam jube salvere meis verbis: Et hoc qualecunque est, cum illo commune habe: quando mihi a typographo per quam pauca concessa sunt exemplaria. Vale. Perusia.*

M. ANTONIO SINESIO SUO.  
BONONIAM.

**A**ccepi odas, Et epigrammata, que misisti per Odoardum: lepida sunt, venusta sunt: mihi vero etiam meliora videntur, quia pia, Et a piis. Remittam hujus generis aliquid, cum reperero, si tamen reperero: vix enim crederes, post tuum a nobis discessum, quanta sit facta scriptorum meorum depopulatio. Utinam describerent, Et redderent. Non quererem, non agrè ferrem. Sed quidam sunt adeo impudentes, ut etiam sibi attribuant, atque utantur pro suis. Audi flagitium: nosti obtrectatorem illum Musarum nostrarum, is proxime a me venia impetrata, Et iterum receptus in gratiam, proh quam lepide nobis illudit! venit homo ad me sub ferias Luperciales: fert epistolam bene longam, quam para-  
bat



bat' edere: & primò excusat se, quòd confecerit festinanter; deinde rogat me ut corrigam, ut poliam, ut adornem. Subeò legere ac relegere: auditam mirabiliter probo, veris afficio laudibus, & levicula quadam muto ac reconcinno. Ille actis gratius, exultare, discedere, divulgare. Interjectis diebus, amicus quidam meus, & condiscipulus olim tuus, cum in me incidisset, Vidi-  
stin' Marce, inquit, nuper editam à communi amico bellam epistolam? Quid ni viderim, inquam, si prius legi, probavi, dilaudavi? Tace, inquit, ne incurras in alterutram reprehensionem, aut oblivionis, aut ambitionis: si enim non agnosti filiam tuam, obliviosus pater es; si agnosti, & tamen laudas, ambitiosus. Sub hac ostendit mihi exemplar ipsum, quod ego aliquot ante annos, in schola vobis dictaveram. Sed interea dum hac garrus, versiculi se quidam ad manum offerunt insperanti: eos mitto quales offendi, rudes, horridos, inconcinnos: nec mirum: ex improvise venire jussis, tempus defuit ad se ornandos, & poliendos. Vale. Illustribus Pasis, & docto Titio salutem à me plurimam nuncia. Perusia. Idibus Martiis.

---

INEFFIGIEM B. PAULI  
APOSTOLI.

Nomen pacis habes, pacem tua scripta loquuntur,  
Et pax facundo semper in ore sonat:

Rex



Rex etiam pacemq; dedit, pacemq; reliquit,  
 Et vox nulla sacro prodiit ore prior.  
 Quare cum placidam promittant omnia pacem;  
 Dic mihi, districto cur riget ense manus?

## IN EUNDEM.

Reconde gladium Paule: buccinam cape,  
 Martemq; cantu, non manu  
 Misce. Imperator te tuus renunciat  
 Tubicinem, non militem.

## DE S. LAURENTIO MARTYRE.

Arfit, non arfit: refrixit ab ignibus ignis,  
 Et tulit in mediis ignibus ignis opem,

## DE EODEM.

Quid mirum: si terrenos Laurentius ignes  
 Non timuit? Laurus non timet ætherios.

## AD S. NICOLAUM INFANTEM.

Altricis gremio residens puer, Eja age, dulcem  
 Quid refugis mammam sugere, Nicoleos?  
 Abstineo, carnemq; domo. Tanto ante? Necessè est,  
 Illi ego non parcam, parcat ut illa mihi.

ALEXANDER CORREGIUS

JO. ANTONIO GUARNERIO

CANONICO, S. D.

Bergomum.

**D**Onavi Bonciario Magistro meo, quemad-  
 modum mihi per litteras imperasti, missum  
 à te opusculum de Bello Cyprio. Legit, relegit, di-  
 laudavit: mihi hoc predicavit in primis, nun-  
 quam sibi ante hunc diem neq; lectum, neq; au-  
 ditum



ditum esse quemquam, qui stylo planè Ciceroniano scriberet historiam. Porro, inquit, Paulus Jovius Ammianum Marcellinum imitatus videtur, Bembus Casarem, Sigonius T. Livium, alii alios: rari aut nulli Tullium: Maffeus enim noster quanquam longo intervallo superat ceteros, tamen (ut Bonciarius solet dicere) neminem unum in dicendo secutus est, sed habet genus loquendi proprium ac suum, quod non multum ex Cicerone, sed plurimum ex quatuor principibus Historicis magno studio sibi paravit, Salustio, Livio, Tacito, Q. Curtio. Tu, inquam, illi primus videris docuisse historiam Ciceronianè loqui: quod nonnulli τὸ ἀδύνατον esse existimant. Ceterum accusat suam paupertatem, quod te in eodem genere remunerari nō possit. Mittit Latina quaedam & Græca epigrammata, quæ dudum Episcopo jubente cōposuit, de Ferraria recuperata. His mihi visum est addere Oratiunculam, licet prorsus extemporaneā, nec ab eo satis probatam, quam in cubiculo suo habuit, agens gratias Illustrissimo Cardinali Cusano, qui cum amplissimis & clarissimis viris, ad ades nostras inspiciendas, Episcopo deducente, convenerat. Cum rediero, quod propediem fore spero, Superis adiuvantibus, feram alia limatiora & graviora, quæ hanc tenuem lucubrationem aut stantem confirmabunt, aut labentem sustinebunt. Vale. Perusia, ex Collegio S. Bernardi.

AD



AD AUGUSTINUM CUSA-  
NUM, S. R. E. CARDINALEM,

EXTEMPORALIS

Oratio.

**E**rgo singuli Contubernales & Cives nostri,  
Princeps Clarissime, Illustrissime, à te hodie  
singulari beneficio affecti, aliquam grati animi  
significationem dederint, in te libentissimis ani-  
mis excipiendo, deducendo, affectando: ego  
quia nihil horum facere possum, propter tenui-  
tatem atq; infirmitatem valetudinis meae, nihil  
efficere, nihil conari debeo? & hanc tantam hu-  
manitatem comitatemq; cuius maximam par-  
tem ad me potissimum video redundare, tacitus  
obstinato silentio prateribo? id verò si facerem,  
tum me non modo cecum, claudum, debilem; sed  
mutum quoq; & elinguem esse ostenderem. Er-  
go par est linguam licet horridulam & indisser-  
tam subsidio venire oculis, manibus, pedibus, à  
quibus ei quoque non rarò subventum fuit. Quod  
si qui arbitrantur, me sapientius facturum fu-  
isse, si me aliquò abderem, neque talibus viris  
in conspectum darem, hominem minimè conspi-  
ciendum: ne illi non intelligere mihi videntur,  
quantum hodie splendoris & ornamenti nobis at-  
tulerit, mihiq; in primis tua, Cardinalis Amplis-  
sime, dignitatis, auctoritatis, & majestatis ple-  
na pra-



na presentia: mecumq; prorsus iniquè agunt, si jubent, conceptam animo latitiam comprimere, jam quasi pulsantem fores, & nobis etiam inuitis, erumpere conantem. Quid enim? An vos non videtis oculati, quod ego cecus perspicio planeq; sentio, novo quodam & inusitato fulgore splendescere. Aedes nostras, & cubiculi hujus angustias non posse capere tantam lucem, sese undique diffundentem, & mentis oculos praestinguentem? Sanè mihi hoc tanto Principe, tantisq; viris limen nostrum ingredientibus, propè ipsi parietes exultare & gestire latitia videbantur: ne me putetis silere debuisse, aut potuisse, vastum quidem hominem atq; informem, sed tamen hominem, non lapidem, qui gaudium animi mei non alia ratione significare, atq; testari poteram. Talem namq; honorem & dignitatem neq; accepimus antehac, neq; forsitan, mihi credite Contubernales, accepturi sumus in posterum. Ecquando enim iterum nobis continget, ut vir ejusmodi cum tanto & tam nobili comitatu, ad nos se conferat? vir dico ejusmodi, non solum splendidissimis ortus natalibus, & in Purpuratorum Patrum Collegium adscitus, quod est illi commune cum pluribus; sed sua etiam nobilitate nobilior, sua dignitate, amplitudine, majestate decentior & mirabilior? de cujus summa perfectaq; sapientia olim diu constante fama, & multorum predicatione audieramus; humani-

tatem



tatem verò atq; facilitatem ipsi hodierno die sumus experti. Quo modo enim non hoc maximum ac singulare beneficium est, si tantus Princeps, cujus ut solum videndi potestas fieret, quodvis durum atque longinquum iter capiundum nobis fuisset; ille ipse ad cohonestandum nostrum Collegium, nosq; omnes aeterno beneficio devincendos, ultrò advenit. Et humanissime copiam sui facit? breviorē illam quidem, quā nos vellemus, sed tamen jucundam, honorificam, nobisq; omni tempore gloriosam. De cujus verissimis ac justissimis laudibus non libet mihi predicare uberius, non provincias, non imperia, non summum in terris fastigium augurari. Scio enim ita natura comparatū esse, ut quanto quisq; laudabilior sit, tanto minus predicari de se velit: scio non esse ejusdem ingenii laudem mereri, Et laudem velle: Et hoc qui velit, illud alterum, aut nolle, aut non posse. Te verò Principem Illustrissimum scimus esse ex rarissimo hominum genere qui recte facere, quā laudari, Et boni esse, quā videri malunt. Quare non onerabo pluribus verbis modestiam atq; pudorem tuum: de officio nuper in nos collato, dicam libentius, Et convertam ad eos quos tecum comites adduxisti, orationem meam. At quales comites? certē tales, quos habere optasset Magnus ille Pompejus, cum ex Asia Romam rediens, Mithridatico bello confecto, Rhodiorum gymnasia celebrabat;

M

viros



viros maximè illustres, auctoritate, doctrina, religionem, prudentia præstantissimos, & quo majus dicere nihil possum, tui simillimos: ex quibus ceteri fama duntaxat mihi sunt cogniti, Hieronymus Pamphilius, & M. Antonius Massa, quorum nomina ipsa jam pridem veneror & admiror; unus, ne ille quidem notus mihi de facie, sed noti filii, cum quibus magna mihi familiaritas intercedit, propterq; eam causam Pater quoque a me præ ceteris exoptatus, & toto pectore expectatus, Cesar Baronius; quem unum Princeps optime, si per te cognitum haberemus, si ad ejus notitiam tua opera pervenissemus: unum dico Baronium, si quoquo modo videntum, & paucis horis fruendum nobis tradidisses: audeo dicere, totam hanc civitatem, in primis verò quicunq; litteris & doctrina delectantur, perpetuò tibi devinctos fore: facio enim conjecturam de me: cui si licuerit ad tantum virum propius accedere, manum osculari, presentem alloqui atq; complecti: non obstabunt corpusculi mei tantæ calamitates, quò minus me felicissimū audeā dicere omnium hominū. Quod si tibi pro illo uno tantum debuissemus, tu cogita, Princeps sapientissime, quantum tibi pro te, proq; his omnibus debeamus. Accessit enim Princeps Corneus Illustrissimus, ille quidem omnium nostrū, sed meus præcipuè magnus vetusq; patronus, de quo haud scio equidē et quando ad nos venturus fuerit,

fuerit,



fuerit, si hodie tecum non veniret. Itaque (quod  
 pace illius dixerim) de hoc ejus adventu majorem  
 tibi, quam illi, gratiam esse habendam pu-  
 tamus: habebimus. Et illi longè maximam, si po-  
 stea iterum ad nos veniet sine te, Et humanissi-  
 mum, nostriq; amantissimum Gubernatorē Ca-  
 rolum Comitē imitabitur: qui non semel, sed  
 iterum ac tertio cœtum nostrum presentia sua  
 luce illustravit. Jam verò illud mitto commemo-  
 rare, quod etsi est omnium maximum, tamē non  
 nostrum est proprium, sed commune beneficium  
 totius civitatis ac Diœceseos, quod Neapolionem  
 Comitolum virum absolute sapientia, Præsidem  
 nostram integerrimum, sæpè prædicantem glo-  
 riantemq; audivimus, se quantus quantus est,  
 totum fluxisse ex fontibus consiliorum tuorum;  
 Et quantacunq; sibi honoris Et dignitatis acces-  
 siones obvenere, illas non alii; quam uni tibi ac-  
 ceptas esse referendas. Quare, ut vidēs, immen-  
 sum quiddam atq; infinitum est, quod tibi non  
 nos tantum, sed Patria nostra universa debere  
 cogitur. Quam ego amplitudinem meritorum  
 ineptius sim, si existimem me posse persequi oran-  
 do, qui vix possum assequi cogitando: neq; nun-  
 miror, si cum paulo ante me compararem ad a-  
 gendas gratias, conturbavit me rerum copia,  
 Et animo ingenioq; majores tenebrae sunt obor-  
 ta, quam qua in oculis versabantur. Quamob-  
 rem finem faciam, unum hoc non temerè glo-  
 riaris,

M a

rigius,



riatus, ex hodierna celebritate tantum splendoris accessisse nostro Collegio, quantum scholis Romanorum accedere videbatur, cum Claudius Imperator ipsis artium Doctoribus & Magistris nec speratus, nec opinatus obneperet. Quem vos hodie Magnum Imperatorem, magni Pontifices & magni Principes imitati, praclusistis officii magnitudine omnem viam, & omnes aditus adspirandi ad vestras laudes. Mihi vero, Cardinalis Amplissime, unum hoc relinquitur, quod ego unum & jubeor, & scio dicere, ut tibi penitus persuadeas, atque pro certo habeas, pro totiantisque tuis in nos officiis maximis, immortalibus, Pastorem ipsum cum toto grege tuum esse, tuum fore, & utrumque omni tempore non alterius malle esse, quam tuum.

---

### SCIPIONI BONANNIO.

**J**am dudum nihil audio de te, Bonanni humanissime, nec facile crederes, quam non facile caream consuetudine atque congressu tuo, praesertim absente Serafino, qui si me viseret aliquando, leniret una opera desiderium tui, exple-ret sui. Sed ignosco utriusque, si quantum mihi detrahitur, Musis additur. Valete, & tam amate inter vos, quam me uterque, ut vos ego utrumque. Quas do litteras ad Pontanum, cupio quam primum mitti, sed fidelius tamen, quam celerius. Illustrissimum à Burdesia, summo praeditum ingenio

genio



genio adolescentem, amantem tui, studiosum  
mei saluta semel, & vale iterum. Ex Collegio S.  
Bernardi.

---

FABIO PONTANO,

FULGINIAM,

**E**ram tibi supra quam posses credere, iratus  
Pontane, quod in litteris ad Barnabæum il-  
la tanta & tam magnifica de me pradicas: com-  
motionem animi auxit fortuna: nam quo tem-  
pore allate sunt tue, quas Barnabæus continuo  
ad me detulit, mecum erant juvenes ex toto gym-  
nasio nobilissimi, in his Ioannes Baptista Man-  
nellus, cui ego nihil suspicans mali, tuas in con-  
ventu legendas tradidi. Quid queris? collau-  
davimus ore uno omnes, & tua scribendi elegan-  
tia majorem in modum delectati sumus: mihi  
tamen sincera & liquida voluptate frui non li-  
suit; cum ad singulas propè periodos fuerit eru-  
bescendum: sed jam scies, impune tibi non fuisse  
nimiam laudationem. Feci eorum more, qui, si  
jumentum ledere non possunt, clitellas verbe-  
rant: partum illum extemporaneum ingenii tui,  
vah quibus multavi modis! inverti, distorsi, in-  
terpolavi: vix agnosces pater. Atqui docebo te  
simplicius agere cum amico; nec majorem illi  
movere expectationem, quam noveris imple-  
ndo fore. Fac valeas. Perusia.

M 3

Ei-





## E I D E M.

**P**ropermodum nihil erat, quod scriberem: & ad tuas antè rescripseram per Barnabeum; sed obtundit me profecturus istuc P. Joānes Caldorū Augustinianus, qui negat abiturum se sine meis ad te litteris. Mitto carmina nuper edita in fortunam & casus meos; inter cetera tuum etiam epigramma, jocaturus tecum, si qua forsè sub calamo se præbuerit occasiuncula. Videlicet periculum est, ne garriendi facultas desit homini cæco, amico otioso. Atq; eccam in tempore. Carmen si leges, videbis esse quod gaudeas fecunditate tua & tuorum. Siquidem tu natum peperisti propè ex tempore per ludum inambulans, inter fremitum nunquam quiescentium puerorū: ille verò tam tenuis, tam pusillus haud majore spatio tibi nepotem, ut vides, peperit, æque pinguem, æque grandem: sed quis illi maritus fuerit, nescio: tantum dico, quod scio. Intimus mihi Vincentius Herculānus visum apud me tuum rapuit, & post dies aliquot incolamem retulit cum adulto filio, qui patrem suum nominavit nobilem Cœnobiarcham; mihi ante neq; de facie, neq; de fama cognitum. Ergo inquis, à monacho est, nothus est, incestus est. Certè negari non potest: sed idem tamen elegans est, venustus est, bellus est, nec incongruus mihi, qui solum presbyter sum, pater autem holopresbyter.

Ita



Ita est Pontane: genitorem ego regenui meum,  
 & litteras docui vicenarius quadragenarium.  
 Atq; hæc mihi prima fuit Grammatica causa  
 refingenda: qua via nunc trudo pueros, ea olim  
 natu grandis præcessit pater: quem sacris initia-  
 tum omnibus donandum curavi, non quidem  
 opulenta & benè dotata, sed honesta, & illi apta  
 conjugæ, cum qua fratres sororesq; mihi reparti-  
 rit fecundus, & felix parens. Sed redeo ad  
 nepotem tuum: in quo cum reliqua probem o-  
 mnia, unum reprehendo, quod mendaculus est,  
 in me scilicet extollendo: sed hoc matri acce-  
 ptum referri debet, vel tibi avo, non certè patri  
 anachoreta, qui tam me noverat, quam ego il-  
 lum: nisi si hunc quoq; amicum inscienti conci-  
 liavit mihi Hieropylus. Quem quia vagatum  
 diu, propediem excudere habeo: facies mihi per-  
 gratum si ulciscaris tuum, & me talione refe-  
 rias. Vale. Perusia.

## E I D E M.

**P**Etis Grammaticam à me recusam. Mitte-  
 rem, si esset recusa: sed vix Guarinum absol-  
 vimus: qui quidem prodire non audeat in publi-  
 cum sine socio: credo meminit, ecquid olim sibi  
 contigerit incomitato. Hoc tu, Pontane, quale  
 sit, non intelligis, nec mihi vacat, aut lubet scri-  
 bere in presentia: scies in tempore, si valebo, &

M 4

ride-



ridebis. Quod cœperam dicere, Guarino excu-  
so, Donatus est in incude: sed fabri propter ope-  
ra instituta multa multorum, negant daturos  
ante Cal. Feb. Ego, ut talium fides est, possum  
ferre, si non trahor ad Martium, & eò amplius  
aliquanto. Summa hæc sit: quæ prima mihi erunt  
reddita exemplaria, curabo ad vestros librarios  
perferenda. Vale. Perugia.

## E I D E M.

**A** Ccepi à te breves litteras, quibus excusari  
longum silentium: sed tam arguè, tam sua-  
viter, tam eleganter; ut non immeritò habeam  
tibi duplicem gratiam, & quod silueris, & quod  
scripseris. Contra ego non putavi, mihi esse cun-  
ctandum, sed potius continuo respondendum ad  
tuas, vel quia tam lepidas excusandi rationes non  
habeo, vel certè ut tuas eliciam, qui habes. Amo  
te plurimum de pecunia ex libellis meis proxime  
redacta, quam una cum rationibus detulit heri  
ad me Scipio Barnabeus, missam ad se Fulginia.  
Consta ratio: nomē expunxi & deleui, nunquã  
officio gratiam deleturus. Vale. Perugia.

M. ANT. MAFFÆ ABBATI.  
ROMA.

**O** Me stolidum atq; excordem, Maffa vir  
humanissime. Narrant mihi, quo die Car-  
dinali amplissimo, Augustino Cusano, vobisq;  
illu-



*illustribus viris in meo gymnasio gratias egi, cum perorassem, surrexisse Cardinalem, & manu premo Baronio, adductoq; ad me, ita mecum locutum: En tibi tuum Baronium, quem merito plurimi facis: alloquere, osculare, amplectere tuo arbitratu. Quibus verbis ego scilicet nihil respondi: sed feci, quod eram jussus, ut ad Baronium me converterem, & cum eo fabulari inciperem. Quod meum factum omnes reprehendunt, & me inhumanitatis atq; rusticitatis condemnant; qui affectus tanto honore, à tanto Principe, in tam celebri loco, verbum unum non fecerim. At ego, credas mihi affirmanti, si vis, etiam jurato velim, non intellexi, à quo Baronius ad me esset deductus: putavi, illum accessisse sua sponte; tum, ut fit, aliquem de tenuioribus amicis comitem se adjunxisse, qui mecum illa esset locutus. De Cardinali verò ne suspicatus quidem sum: neq; antè credidi multis renunci-antibus, quam ex Comitolo ipso audivi, cujus dictum auctoritatemq; in dubium revocare nefas fuit. Ergo re comperta & explorata, tanto tadio tantoq; mœrore animi sum affectus, ut ab eo die nihil jucundum, nihil suave senserim, vitamq; ipsam mihi non optabilem esse duxerim. Quæ tristitia manet etiam nunc, manebitq; tam diu, donec alicunde persensero, Principem officiosissimum accepisse satisfactionem meam, & quicquid peccatum est, partim huic cecitati, partim ve-*



cordia, seu incogitantia mea tribuere; certè non inhumanitati, neq; infantia. An ego volens praetermitterem illam tantam, tam optabilem, tam insperatam occasionem demerendi optimi Principis, laudandiq; singulare in me officium, verbis quam possem exquisitissimis? Crede mihi Maffa, non facerem: nisi si existimas, homini ceco in sua causa tam honorifica, tam necessaria defuturum fuisse, quid diceret; quod ante oculato in aliena, etiam levi & nugatoria nunquam defuerit. Quod si nulla graves argutaq; sententia succurrissent; num ea quoq; me defecissent, vera illa quidem, sed tamen communia atq; protrita, quae vel infantissimo cuiq; in mentem venire potuissent? Debere me Cardinali amplissimo magnam gratiam, quod me dudum dicentem equo animo auscultasset, hanc multò ampliorem esse factam, quòd eum quem cuperem, ipse oblitus gravitatis suae, memor cupiditatis meae, suis manibus mihi fruendum traderet: talem esse Baronium, ut à quocunque daretur, gratissimus esset futurus; talem esse Cardinalem, ut quemcunq; daret, auctoritate sua gratissimum posset efficere: nunc verò illum talem, ab illo tanto mihi tam humili esse datum, quis non videat esse tam amplum, tam honorificum: mihiq; adeò gloriosum, ut, verbis exprimere neq; ego, neque quisquam possit? Hec aliaq; generis ejusdem, scio esse mihi semper ad manus. Sed videlicet non sci vi Car-  
dina-



dinalem esse, dicturus omnino aliquid, si scissem. Sonus vocis non potuit ceco ostendere, quis nam ille esset, qui mecum loqueretur: oportuit esse aliquem, qui pramoneret me. Neque desunt qui dicant, tum fuisse quosdam, qui mihi ad aurem infusurrarent docerentque, Cardinalem prope me constituisse, mihique Baronium sua manu tradere. At ego istos admonitores non audivi, et illos miror, si me non modo cecum, sed surdum quoque ajunt fuisse. Fortasse ingens ille splendor, qui prae-  
stinguere oculos meos non poterat, ad animum transiit, et mentis aciem ita hebetavit atque afflixit, ut ego ubi gentium essem, aut quicum essem penitus ignoraverim. Nam ne Baronio quidem ea dixi, quae cupiebam, nec eum habui honorem verborum, qui decere me atque illum videbatur. Habes, eruditissime, ac suavissime Maffa, quo modo acta res est. Nunc si tibi non modo excusatione, sed etiam misericordia dignus videor: age obsecro te, meam causam apud amplissimum Cusanum: expurga illud factum, atque excusa: tum si erit opus, reponere me Patrono meo, amico tuo in gratiam. Potes facilime, quod is tibi ex omnibus maximam fidem habet: ego autem perinde habebam, et te amabo, ac si mihi rem difficillimam impetraveris. Vale. Perusia,  
ex Collegio S. Bernardi,

1596.

I O H.



JOH. PETRO MAFFEO,  
EX SOCIETATE JESU,  
ROMAM.

**E**N nisi, Vir prestantissime, Oden de te ad te;  
non missurus, si, quod tu exemplum ab Epi-  
scopo acceperas, id ego aliquo pacto avertere po-  
tuisssem. Nunc quando ne omnino habeas, pro-  
hibere non possum; hoc saltem habeas malo, quod  
proximè, dum describitur, in transcurso leviter  
emendavi. Enimverò ne hic quidem offendas  
aliquid, quod probes, prater argumentum; in  
quo ego sic mihi placeo interdum, ut hujus bene-  
ficio cetera quoq; licet vulgaria; tamen alicujus  
pretii putem fore. Hac propemodum ratione si-  
mulacra ex solido auro vel argento, qua faber  
paulò rudior informaverit, antestare putantur  
eneis & saxeis, qua vel Lysippus aut Pyrgoteles  
laboraverint. Quod si, ne potissima quidem hu-  
jus quasi corporis membra, satis aptè concinneq;  
disposui, debes, qua tua humanitas est, veniam  
dare; qua facultas, etiam castigare. Discipulum  
enim tuum docebis, qui hoc tantulum, quod in  
latina orationis facultate adeptus est, in primis  
tibi, tuisq; immortalibus vigiliis, non nihil etiam  
colloquiis & interna consuetudini acceptum re-  
fert. Quod si me tamen parum profecisse osten-  
dero, excusabis qua ingenii, qua corporis imbe-  
cillitatem: cecus sum, & quod unicum cecitatis  
leva-

leva-



levamen putant, oculatas manus, harum quoque sensus ita hebes est, ac languidus, vix ut à lana ferrum, ab igne glaciem internoscant: nec adeo dissimilis est ingenii facies habitusque. Quid igitur mirum, si non videntem, non tangentem symmetria proportioque fefellit? Vale. Perusia.

CÆRASI BARONIO, CARDINALI CREATO.

ROMAM.

**E**gone integerrimo, doctissimo & gravissimo viro, ad amplitudinem primæ proximam evedto, inter tot tamque illustres gratulationes occurrere audeo pauper, humilis, & ignobilis? Quid ergo faciam, si obortam animo ingentem letitiam cohibere ac frenare diutius non est licitum? Fecit hoc non solum, quæ te ornat, secunda in terris dignitas, secundum nemini eruditione, pietate, prudentia; verum etiam necessitas quædam testificandi gratum animum erga te meum. Quid enim? an ego poteram oblivisci, quam me humaniter excepisses, atque etiam complexus esses, quo die tibi, & illustrissimo Cusano, summis præterea viris presentibus, in meo gymnasio gratias egi? Hæret mihi in animo, & dum vivam, hærebit suavissimus ille congressus: cuius memoria non solum me ad te hodie salutandum impellit, sed etiam mihi persuadet, pro mea summa in te observantia, quam illo die ostendere sum conatus,

conatus,



sonatus, nequaquam me in postremis habitum  
 iri: praesertim cum publicam quoque personam  
 geram, & Collegii nostri, quod tu olim in visere  
 atq; ornare dignatus es, communem gratulatio-  
 nem ad te deferam. Quid quod noster Episco-  
 pus, homo tibi propter morum studiorumq; simi-  
 litudinem maxime conjunctus, audere me vult,  
 & ut scribam, imperat? cuius ne detrectarem  
 imperium, tu hodie exemplum fecisti. Neq; ve-  
 ro erat periculum, ne non agnosceres hominem,  
 tantis atq; tam multis insignem notis: meam di-  
 sco debilitatem & cacitatem, quas hoc nomine  
 minus odi, si memoriam tuam adjuvant, & me  
 ignotum esse non sinunt. Gratulor igitur & tibi,  
 cui vel invito traduntur ea, quae te digna sunt,  
 quaeq; olim diu eximia tuae virtutes postulant; &  
 Christianae reip. universae; quam spes est ad pri-  
 stinam innocentiam facile redituram, si ad ejus  
 gubernacula, ut antè fieri cōsueverat, non cupi-  
 ditas, aut luxus, aut ambitio, sed spectata bonis  
 principibus moderatio, & coacta in obsequium  
 Dei, sancta, constans, atq; severa voluntas sedeat.  
 Tametsi, quod dicendū hic sit, Baroni sapientis-  
 sime, humanissime (facit enim tua facilitas, be-  
 nevolentiaq; erga me, ut te blandius appellare nō  
 dubitem (quae istaec est ratio a versandi imperia?  
 verbis repudiare, factis nō solum petere, sed quasi  
 debitum exigere magistratum? Nam quo alio,  
 Deus bone, spectabant cogitationes & cura, omni-  
 tem-

tem-



tempore à te suscepta, pro Ecclesiastica dignitate  
 augenda & propaganda? quo tuum illud pium,  
 sanctum, grave, equabile, atq; perpetuum vite  
 institutum? quo ille plusquam Herculeus labor,  
 & idem tamē Ecclesia necessarius Annalium cō-  
 scribendorum? quo deniq; illa perspecta omni-  
 bus, in credito tibi munere administrando fides,  
 consilium, animi magnitudo, constantia? Non  
 feci, inquit, ea mente, ut rem istuc deducerem.  
 Credo sanè: imò pro certo habeo, idq; omnibus  
 qui te norunt (quis autem non novit?) scio esse  
 persuasissimum, tamen hac, mi Patrone, securo,  
 & nil tale opinanti prensabant tibi, petitura suo  
 tempore, tantò justius, tantò acrius, quanto à te  
 generosius atq; constantius recusaretur. Quod  
 quando ita cecidit, ut boni omnes volebant præ-  
 ter te, qui es optimus, & feliciores fuerunt nostra  
 quàm tua preces: Pontifici sapientissimo gratias  
 agimus, eiq; omnia bona dicimus, qui, etiam in-  
 jectâ religione, te cogendum putaverit: ne, si tua  
 modestia indulgere vellet, ipse se religione ob-  
 stringeret, & suum ipse iudicium famamq; in  
 discrimen adduceret. Pro cuius incolumitate  
 tuoq; prospero vite cursu, nostri potius quam ve-  
 stri memores, & de communi felicitate solliciti,  
 Deum opt. potentissimum assidue compre-  
 cabimur. Perusia, ex Collegio S.

Bernardi.

M. ANT.



---

M. ANTONIO BONCIARIO, S.  
PERUSIAM.

**M**agnifice ac eximie vir : Grate mihi ac  
jucunda admodum fuerunt littere tuae  
nuper redde. Etsi enim nihil mihi in omni  
vita durius accidit quam id, unde tibi oblata est  
occafio fcribendi : amo tamen & complector li-  
bentiffimè officiofam iftam & finceram tua in  
me benevolentia teftificationem : quam quidem  
multò luculentiozem reddes ; fi qui te tantam ex  
impofitio mihi onere letitiam cepiffe fignificas, di-  
vina clementia opem ad illud strenuè perferen-  
dum precaberis. Nam mihi quidem tantis cu-  
ris & tam moleftis implicito illud vel maximū  
folatium fuerit ; fi quid facultatis ad bonos tui  
fimiles iuvandos & virtutem promovendam  
mihi accessiffe intellexero. Vale in Domino ; &  
Collegas tuos optimos viros in eodem Domino,  
meo nomine faluta. Roma 22. Junii. 1596.

Tui Amantiff.

Card. Baronius.

---

POMPEJO ARRIGONIO  
CARDINALI CREATO.  
ROMAM.

**D**ifficile effet, Arrigoni Cardinalis ampliffi-  
me, argumentis prebare non oportuiffe me,  
grain-



gratulationem, quam tibi debebam, differre in longiorem diem: quia cum postremus ad notitiam tuam venerim, par erat vetustioribus amicis, atq; clientibus locum dare; mox ubi gratulatio deferbuisset, tibiq; majus otium foret, tum demum me quoq; accedere ad letitiam animi mei testificandam. Sed nimirum vehementius colo virtutem tuam, tuisq; prosperis rebus letor, quam ut illud tempus expectare possim: cui tamen mea festinationi privata quoq; ratio excusationem dat, cum ex tanta honoris amplitudine, quam tibi tua merita pepererunt, pars aliqua etiam ad nostrum Collegium, atq; ad me potissimum redundare videatur. Teneo enim memoria, quod mihi eo die pollicitus es, quo accessisti ad aedes nostras inspiciendas, & humile meum gymnasium augustissimo tuo conspectu magnificentum reddidisti, curaturum te, ut Antonius, & Cyriacus Roccii, sororis tue filii penes nos educarentur, & à me studiis liberalibus imbuerentur. Quae quidem cum ita sint, primum tibi, ut debeo, gratulor, quod ea es adeptus, quae tuae virtuti, tuisq; meritis jam pridem deberi, omnes fatebantur: deinde gratias ago, quod nobiscum quoque tantum splendorem aliquo modo communicandum esse statueris: postremo de tenuioribus amicis neminem fore arbitror, qui mihi irasci jure possit, si celeritate gratulandi vincam eos, quos causis vinco. Tuos verò pueros, quos antea dili-

N

genter



genter colere debuimus propter honorem, quem ab ipsis accepissemus, nunc profecto intelligis, post tantam fortune ac dignitatis accessionem, fore nobis altero tanto & honestiores, & cariores. Faxit Deus Opt. Max. ut quemadmodum deinceps in ampliore fortuna tuum meritum augebitur, ita post in amplissima dignitate nostrum gaudium augeatur. Perusia, ex Collegio S. Bernardi. 1596.

---

HIERONYMO TETIO.

CASTROPLEBIUM.

**M**ultas accepi per hos dies epistolas tuas, nullam sine pepone; multos pepones, nullum sine epistola. In quo agnovi non solum humanitatem, sed etiam sagacitatem tuam: quippe qui, si forte ita caderet, ut in altero minus esset roboris ad me oblectandum, voluisti esse paratum subsidium in altero. Et sane ita cecidit: subvenere sibi invicem pepones & littera, & quoties opus fuit, mutuas quasi operas praeberunt. Fere autem nunquam contigit, quin alterum alterius auxilio indigeret. Eset parum compta epistola? Pepo sua suavitate elegantissimam & politissimam efficiebat. Eset pepo insulsior aut insuavior? Presto erant sales atque facetiae litterarum, quae mirificam illi gratiam & leporem conciliabant. Utrum utri sapius operam tulerit, non facile dixerim: hoc dico, quod verum est,



me, gustatis utrisq<sup>3</sup>, nunquam jejunum esse dimissum, nunquam affectum satietate: ita quod forte alteri defuit, in altero semper inveni. Quin etiam scio, mihi ex ea re partam esse laudem iudicii apud nostros, atq<sup>3</sup> opinionem quandam divinationis, propterea quod ultra res mihi prius in manum veniat, habeo propè certam de altera conjecturam. Lego litteras? Scio qualis pepo futurus sit. Gusto peponem? Scio quales litterae adjunctae sint: neutra me res unquam fefellit. Et sanè laudo, Teti, tuam parsimoniam, quod illud tantum impendas, quod satis est; neq<sup>3</sup> quod multi faciunt, in res non necessarias opera, & ingenio abutere. Nam qui pepones ab se sapiunt, litterarum saltem non desiderant; qui non sapiunt, illi desiderant. Et de litteris eodem modo statuas licet, quae bella sint & venustae, munerum commendatione non indigere; quae non sint, eas indigere. Jam vide per eam causam, quod boni heri mihi contigerit. Scholam dimiseram: perpauci mecum remanserant ex classe prima: quibuscum lepidè, ut soleo, fabulabar, interea dum apparatur cœna: ecce tibi de improvviso Mangionius tuus, imò meus, nunquam nisi bonum aut nuncium, aut munus afferre solitus, Adsunt tibi, inquit, Bonciari, a Tetio tuo munera, Pepo, & littera. Ibi ego accepta epistola, seduco me in angulum cum Anagnoste, què jubeo summissa voce mihi perlegere. Quid

N 2

queris?



queris? vix tertiam epistola partem percurre-  
 rat, cum coepi de peponis bonitate conjicere; pel-  
 lecta, multo optimum ac suavissimum fore per-  
 sensi. Interim varia de illo iudicia fieri a nostris  
 adolescentibus: nonnulli subacerbum putare:  
 plerique insulsum ac fatuum esse velle; sic ut au-  
 derent etiam sponcione contendere. Ego nihil te-  
 merè primò affirmare: sed tentabundus peponem  
 in manum sumere, ponderare, naribus admove-  
 re. Tum dico, mihi quidem videri bonum. Ne-  
 gat Hondedeus, in cuius sententiam tres alii be-  
 ne nasuti abiire, ne unus quidem in meam: o-  
 mnes exsuccum atque insipidum esse dicere: nisi  
 esset, spondere singula paria praepinguium pipio-  
 num. Ego si esset quaterna spondeo, unus adver-  
 jus quatuor. Iudicem facimus Mangionium:  
 qui unus visus est posse certius iudicare, quam  
 quisquam nostrum, sive iudicium hominis, sive  
 omen nominis sequeremur. Sed non opus fuit  
 alieno iudicio: illi ipsi cum degustassent, continuo  
 se victos esse pronunciarunt. Hec tecum hodie  
 pluribus verbis jocatus sum, ne semper quera-  
 re, quòd ad tuas litteras non respondeam: etsi  
 haud scio, an tu unquam scripseris, quin rescri-  
 pserim. Sed extra jocum, munuscula tua tam  
 bona, tam crebra, fuerunt mihi perquam ju-  
 cunda: litterae verò duplo jucundiores, quia du-  
 plicem ex iis fructum capio, dum est de amo-  
 re nostro, est de progressu tuo ea cognosco, quo  
 semper



*semper maximè exoptavi. Tamen hæ proxima scripta videntur incuriosius: quod malo tibi præsentì ostendere, quam per litteras significare. Fac valeas. Ex Collegio S. Bernardi, 6. Calend. Sept. 1597.*

## E I D E M.

**D**A, si habes ad manum, ei qui hanc schedulam tibi reddidit, exempla epistolarum mearum, quæcunque olim à te descripta sunt. Utar bi-duo, aut triduo, non amplius, dum describo sepe septem, quæ in nostris adversariis desiderantur; unam maximè ad Muretum, quam tibi dictavi puero: nec habet quisquam, si tu non habes. Cupio etiam eas requiras, quas olim ad magistrum tuum, amicum meum dedi, seniore illum dico, qui servavit; non hunc juniorem, qui neglexit. Sed has quidem, cum tibi erit otium, atque adeò cum voles: tuas utique continuo velim mittas, nec ea teres deterreat, quòd plerasque, ut agebas, inculte descripseris, & spatium non habeas repoliendi: nam te vel etas, quæ tunc fuit, vel occupatio, quæ nunc est, satis excusant: me verò parentem filie, quibuscunque induta vestibus, delectabunt. Vale. Ex Collegio S.

• Bernardi.

N 3

IOANÈ



## JOANNI CARGÆ.

ROMAM.

**H**Abes ingenii vel industria mea fœtus, atq;  
 alumnos duos, quorum fert alter alterum,  
 vivum illum, vegetum, eruditum; hunc verò  
 rudem, invalidum, penè mortuum: commendo  
 autem utrumq;, & quod mirere, illum magis,  
 qui plus valet. Porro alter jam eò deductus est,  
 ut non magnum eruditioni & benevolentia tua  
 locum reliquerit: immò verò ipse me corrigo, &  
 quid te velim, Carga optime, humanissime, pla-  
 nius & apertius loquor. Ferentem cupio beni-  
 gnitate, amore, studio complectare, cum ea ta-  
 men lege (vide quantum aut mihi de te polli-  
 cear, aut iudicio confidam meo) peto inquam, ut  
 hominem tibi amandum atque ornandum ita  
 existimes, si, postquam cum eo eris locutus, hu-  
 manitate, & officio tuo dignum duxeris. Eum  
 verò qui ab illo fertur, adeo non commendo, ut  
 sim tibi acturus ingentes gratias, si non quasi ho-  
 spitem, sed quasi hostem ita tractaveris, ita con-  
 foderis, ut qui peperit atque alui, agniturus ipse  
 non sim. Cave autem ab eo abstineas manum,  
 quia titulum sacrum præfert, Hieropylum: & si  
 enim pusillus est, magnus tamen impostor est,  
 nam & pluscula habet non sacra, & illa ipsa que  
 habet, adeo non tractat pro dignitate, ut præter  
 inscitiam, arrogantia quoq; crimē incurrerit, au-  
 sus

sus



*sus ea, qua prestare non poterat: nisi si charitas potius quam ambitio persuasit puero, ut sacrum illud sibi nomē adscisceret, & grādiōribus inscriptum litteris ostentaret palam, nēpe ut eo munitus, quasi diplomate pontificio, stipem parenti cogeret suo. Sed erat cogēdi ratio melior, quam ipse mihi suaserat Palettarius: hoc enim amico meo nomē est, quē cupio pariter de illa, & de nobis coram audias, & has excuses ineptias allegoriarum, quibus obstreperē tibi sum ausus, ut homini mihi carissimo, eiq<sup>3</sup> maximē oculato, cecus ad cecum novo more aditum patefacerem. Vale. Perusia.*

---

ODOARDO SANTARELLO, V. C.

ROMAM.

**V***ix tandem reperi Alfavianam laudationem, quā totos quindecim dies frustra quaesitam, novus amicus, hand scio quibus ex locis erutam, mihi attulit insperanti. Relegit tanto post intervallo non quasi meam, sed quasi alienam: & non solum refrigerato, sed etiam planē restincto inventionis amore, securius atque syncerius iudicavi. Multa offendi tumida, affectata, & (ne quid dicam adversum me asperius) juvenilia: quæ si tollere aut circumcidere cuncta velim, periculum est, ne similis mei manca, distorta, debilis efficiatur. Quid quaris? nunc demum intelligo, æquiores fuisse illi latendi causam, quam querendi mihi: nam quia deformitates*

N 4

agno-



agnoscebat suas, ideo non audebat se nobis in conspectum dare. Hinc tu existimes licet, quanto perè curiosos aliorum oculos formidabit, quæ patris sui cacitatem non fert. Quamobrem consilium edendi, quod ceperamus, aut prorsus abjicio, aut certè differo in illud tēpus, cum alia quædam ejus generis sum daturus: non enim arbitror, æquè timidam ac meticulosam fore in comitatu aliarum, fortasse paulo meliorum: nequæ velim existimes, abesse longius edendi diem, amicis ultrò hortantibus, & suum studium suamq; operam pollicentibus, Episcopo etiam jubente. Fabricius Barenus cum fortè in cubiculum ad me venisset, quo puncto temporis eram obsignaturus epistolam, rogavit me, ut se tibi purgarem, quod superioribus diebus à te arcessitus, & humaniter officiosèq; appellatus, non unū verbum contra effari potuerit: quod quidem à te vel ignorantia sua, vel excellentiæ tuæ adscribi postulat. Ego ut alterum non negaverim, ita majorem hujus rei culpam ipsius modestiæ dandam puto. Vale vetus Patrone Reverendissime, cujus me benevolentia delectat altero tantò amplius, quam contristat calamitas.

Perusia, ex Collegio S.

Bernardi.

P A T.



## PAULO PALETTO.

## SPOLETUM.

**Q**uid istuc est, quod quosdam jaćtare audio, Palette? Campellus ne, quem proximè à vobis colendum cōduximus, non expectato legitimo tempore, nobis subducitur? quo jure? quo exemplo? Annè scitis, quæ de re agraria leges sunt, per eas vobis non licere? Et istiusmodi locationes saltem annuas esse oportere? At vos, in Italia byenne, vix dum jaćtis seminibus, agricolas exurbatis: quorum neq; cura, neq; incuria tempore tam exiguo conspici potest: spatium opus est ad cultorum sive benè, sive malè locatam operam dignoscendam Et judicandam. An illud saltem non meministis, si res ad iudicium deferatur, habere me cautionem chirographi vestri? Redeat tibi in mentem, Paule, quanto opere per litteras à me contenderis, ut agricolationem istam susciperem: Et speratis vos tantam, tamq; apertam injuriam impunè esse laturos? Sed extra jocum, feracior iste est Campellus, quam multorum latifundia; neq; verendum est, ne non cumulatè contentium voto respondeat, si non diu quiescere ac durefcere patiamini. Ut enim aliqua intermissio vires reficit, Et ingenium reddit alacrius, ita nimium longa enervat, Et in desidiã mutatur. Vale. Perusia, ex Collegio S. Bernardi Cal. Decemb.

N 5

IACO-



## JACOBO PHILIPPO SPADÆ.

**D**Udum agrè à Musis impetravimus, ut ad-  
esse nobis vellent tuas laudes, & tua deco-  
ra meditantibus in eum diem, quo te accepimus,  
confecto studiorum curriculo, ad Jurispruden-  
tium numerum esse aggregandum. Illæ, inquam,  
cœlestes divæ, sæpius invocatæ, vix adfuerunt:  
nam etsi alumnum te suum esse fatebantur,  
atque adeò gloriabantur; tamen moleste fere-  
bant, illum tibi esse cum adversario suo Marte  
commercium: hic enim armorum præses atq; ar-  
biter, bonam tui partem vindicabat sibi; & quò  
magis emulas atque rivales suas ureret, palam  
jactabat, esse te ac fore suum ob multas causas:  
nam sive corporis habitus, & membrorum apta  
concinntas, sive etiam ardor & vigor animi re-  
spiceretur; esse indolem tibi militarem potius,  
quam litterariam: Quòd si nominum quoque  
rationem haberi necesse sit, non te alterius, quam  
Bellonæ alumnum & cultorem dicere oportere:  
siquidem Jacobus Hebraicè strenuum bellato-  
rem, Philippus Gracè bellicosum, & equestris  
scientem pugna, Spada etruscæ robur & bellum  
clamat: accedere vetus familie stemma, non  
unum, sed tres gladios evaginos, & ad prælium  
expeditos. Jam quod Musæ objiciunt, Lilia si-  
gnum pacis, honestiorem in stemmate tuo locum  
obtinerè, & fulgere supra gladios; id verò Mars  
facile

facile



facile refellebat, cum diceret, Lilia ipsa victo-  
 riarum esse insignia, non Musarum signa. Quis  
 non rideret, Martem tunica tectum adaman-  
 tina, stipatum ferro, argutari de litteris ad-  
 versus Musas? Auditamen, quas undecun-  
 que colligebat probationes ad te retinendum:  
 cum enim te Alphonso Estensi, clarissimo &  
 magnanimo Principi, deditissimum esse intel-  
 ligeret, Omnes, inquit, Estenses mei sunt, mei  
 erunt: Spada tres propter enses totus Est Ensis;  
 totus ergo & semper meus. Enimvero cum Di-  
 va ille praesides litterarum in spem rediissent tui  
 recuperandi, quod a Marte paulatim ad se  
 transfugere videbaris; postea vero nescio, qua  
 causa consilium aut mutaveris, aut distuleris;  
 in pristinam suspicionem revoluta, tibi subirata,  
 nobis etiam infensa conatus nostros in medio  
 cursu destituerunt, & de te plura dicere vetue-  
 runt. Vale invitis Musis, favente Baccho, cum  
 bonis avibus, id est, pullastris & pipionibus.  
 Mense Augusto.

---

JO. ANTONIO CALDORO.

FOROCORNELIUM.

**I**N precipiendo de Gerundiis, secutus sum eam  
 rationem, quae mihi ad docendū discendumq;  
 aptissima videbatur, ut ea in quinque casus dis-  
 tribuerem, & unumquodque subjecta regula  
 explicarem, mox exemplis uno aut altero il-  
 lustra-



lustrarem. Cum secundo autem, quod in di-  
 finit, junguntur saepe duo substantiva, Gratia &  
 Causa: quoties videlicet nostrate lingua ita pro-  
 ferimus, Per leggere, per scrivere, per studia-  
 re. Sed ea dixi postponenda esse gerundiis ad  
 hunc modum, Legendi causa, scribendi gratia.  
 Ita me scilicet meliorum latinis auctorum  
 usus docuit, ex quorum scriptis, tanquam purissi-  
 mis fontibus derivare oportet regulam bene lo-  
 quendi, bene scribendi; non ex caeno & sordibus  
 vulgariis magistrorum, quos video perverse  
 uti, & abuti frequenter ad hunc modum, Venio  
 huc causa docendi, non gratia disputandi. Quo  
 modo ausim dicere, neminem esse locutum de la-  
 tinis auctoribus, qui ante mille trecentos annos  
 floruerunt. Et hoc quidem perspicuum est, ideoque  
 scribis admitti facile a doctioribus; illud vero  
 a doctissimo quoque repudiari ac reprehendi, quod  
 infra scripsimus in Notis ad illam regulam: li-  
 cere scilicet uti eo gerundio cum Causa, etiam  
 anteposita, sed hoc modo, Per causam docendi, per  
 causam discendi. Quod quia insolens videbatur,  
 Primo, inquis, negarunt tale genus loquendi apud  
 veteres fuisse in usu: deinde inspecto lexico, credi-  
 derunt Livio, sed tamen hujus locutionis longe a-  
 liam, planeque diversam significationem esse contem-  
 derunt: Per causam, inquiunt, id est, per simula-  
 tionem, & sub obtentu aut pretextu. Quod ego ne  
 non negaverim, ita constanter affirmo, vera esse  
 prece-



præceptionem nostram, & exemplis à Cesare pe-  
 titis confirmo. Nam libro 3. de bello civili, Equi-  
 tatum, inquit, per causam pabulandi emissum,  
 confestim decumana porta in castra se recipere  
 iussit. Quod hic dicit, Per causam pabulandi;  
 paulò post mutato sermonis genera ita effert,  
 Pabulatum, ad pabulandum, pabulandi causa,  
 sine ulla significatione simulationis. Idem libro  
 7. de bello Gallico, Per causam, inquit, supple-  
 menti equitatusq; cogendi, ab exercitu discedit.  
 Ne hic quidem simulavit Caesar, quasi discede-  
 ret, specie aut prætextu cogendi milites: nam re-  
 vera Viennam venit, milites legit, & supplevit  
 exercitum. Constat igitur, idem omnino esse per  
 hæc exempla, & item alia, quæ non adjungo, Per  
 causam legendi milites, & legendi causa milites.  
 Habeo etiam, ne mentiar, ad tuendam illorum  
 sententiam, exempla ex latinis auctoribus, sed  
 minus multa, minus bona. Quid autem ad Li-  
 vium respondebimus? is enim libro 4. ab V. C.  
 Per causam inquit, renovati ab Aquis belli:  
 & libro 2. Ut Rex, inquit, per causam aliquam  
 sustineret à tergo agmen. De quorum quidem  
 locorum sententia nihil disputo: tantum dico,  
 quod ad præsens negotium attinet: in neutro ex-  
 emplo gerundium est, in altero ne genitivus  
 quidem. Quare neque adversarios nostros ju-  
 vant, neque nos ledunt quicquam. Vale. Vosios  
 fratres, eosdemq; cunctubernales tuos, & meo  
 & pa-



*Et popularium vestrorum nomine resaluta. Perusia.*

---

AGESILAO COMESTABILI.

NARNIAM.

**E**go Illustris? Quamobrem autem? si genus atque avos respicis, a vulgaribus opificibus originem traho; si me ipsum, multo etiam videbor obscurior: ab oculis meis initium cape, et reliquam vite faciem tacitus apud animum reputa: jurabis, me infra omnes infimos collocandum, nisi si vulgarem loquendi consuetudinem secutus es: dicunt enim vulgo, illustres atque conspicuos esse sacerdotum liberos: qua ratione vel illustrissimum me appelles licet, ex presbytero pene presbyterum. Neque illa nobis quadrat, quam subjungis Excellentiam: in quo enim ceteros antecellimus? aut quo tandem numero sumus, vel esse possumus apud litteratos? Sordidissimam, ut putatur, artium Grammaticam profitemur, in qua etiam excellere, parum vulgo honorificum censetur; et quia nomen Grammatici invidiosum est, tanto quisque majore flagrat invidia, quanto est scilicet Grammaticior. Una omnino superest ratio dignoscenda excellentie, stipendii magnitudo. Sed hac ratio quam contra faciat, tute cogita; me tametsi pati non pudet; pudet tamen, pigetque referre, vix potuisse me viginti ipsis annis et eo pluribus, quos in docendo

cendo



endo consumpsi, centenos annuos rotundare:  
itaq, neq, meo, neq, aliorum iudicio valeo quic-  
quam. Post hac igitur Comestabilis, cum iterum  
ad me scribes, cave quid addas supra magnifi-  
cum, & me ama. Vale.

---

FRANCISCO UBALDO, I. V. C.

**O** Me nunc vero ac serio cecum, qui saltens  
non viderim, heri fore perfacile, ut tua te  
humanitas ad me adduceret cū Palettario, post  
Romanam tot dierum commorationem, ut u-  
trique felicem reditum gratulari possem: ô me,  
inquam, animo quam oculis ceciosem, cui ne il-  
lud quidem in mentem fuerit, Hondedaum ju-  
niorem in Collegium vestrum proximè coopta-  
tum, eodem nomine gratulationis videlicet cau-  
sa esse venturum. Ad incogitantiam accessit  
fortuna, quod etiam illustrissimus adolescens  
Franciscus Maria de Ruvere, mecum amoris  
gratia congressurus, in eundem incurrit diem:  
diem mihi, nisi fors invidisset, gratulationis, ho-  
noris, latitiæ plenū futurum. Enim verò quis vos  
putasset fervidissimo diei aestu exituros domo, ne-  
dum ad me longiore tractu, via declivi, acclivi,  
& Solis infesta radiis excursuros? Mihi credite,  
non putavi: & feci vobis injuriam, qui credide-  
rim, ardorē vestri amoris, ulli ardori meridiano  
posse concedere. Cavete tamen id suspicemini,  
vos a me redamari frigidius: qui me hercule &

vos



vos ardentissime semper dilexi, & quam diu oculi mihi fuerunt, in oculis tui; postquam vero illis deficientibus, etiam genus loquendi perdididi, vos plane omnes, & te in primis, Ubalde doctissime, humanissime, in imo corde, caloribus pariter atq; amoris sede certissima, collocatos gestavi, & gestaturus eternum sum. Vale. Ex Collegio S. Bernardi, 9. Cal. Sext. 1600.

---

ROBERTO UBALDINO, I. V. C.

ROMAM.

**S**acer fuit hesternus dies B. Bernardo Clavallensi, cujus auspicio militat sub ceco duce litterarius hic noster exercitus. Qua ego feriarum occasione ter quater in annos singulos abuti soleo ad repetendos veterum amicorum congressus, & ad fructus intermissae consuetudinis regnandos. Ergo habita de sancto Preside homilia, & poematus ad unum omnibus, non sine plausu recitatis, cum Episcopus in aulam illam nostrans aequè amplam, aequè algidam se retulisset, ad meos pueros excutiendos, & singulorum ingenia progressusq; explorandos; ego interea commodum me subtraxi, & ad pristinos redii congerones meos, Crispoltum, Ubaldum, Mariottellum, Albertum, Massium, & heu quid ingemisti? Scio cujus memoriam refricavit dolor; non enim aut tu illum plus diligebas, aut te ille plus observabat, quam ego & amavi illum, & te colo, Roberte amato,



te amabilissime: ad quem hodie scribendi non  
alia mihi fuit causa, quam quòd quarenti so-  
cium doloris, in tempore illatae sunt tuae non mi-  
nus flebiles, quam diserta littera ad Crispolum:  
quas cum audirem, tenere lacrymas non potui,  
Et statim decrevi, quæ prima sese offerret scri-  
bendi commoditas, tecum potissimum sollicitudi-  
nis Et mæroris mei causas cõmunicare. Quam-  
quam enim ea communis omnium jactura exi-  
stimanda est, propter egregiam atq; fidelem ope-  
ram, quam navabat Palettarius Reip. littera-  
ria, in nostris pariter exterisq; ad pietatem, ad  
urbanitatem, ad litteras informandis: tamen in-  
geniosus dolor multa suggerit Et retractat, quæ  
mihi cum aliis communia non sunt, Et me tan-  
gunt unum. Taceo quòd se puerum tanto studio,  
tantaq; alacritate mihi docendum tradidit; ut,  
cum postea me propter varios casus præceptore  
uti non posset, omnem captaret, vel mei conveni-  
endi, quæ interdum dabatur; vel saltem ad me  
scribendi, quæ præstò semper fuit, commodita-  
tem: ut plus ille permittas litteras, Ubaldo pri-  
mum interprete, mox etiam discendi socio, Et a-  
mico perpetuo; quam alius quisquam ex poten-  
tius influente, viva voce profecerit. Itaq; cum  
ingenii docilitate, Et industria, Et amore erga  
me ceteros superaret; à me quoq; ille magis ma-  
gisq; supra ceteros extollebatur, atq; ornabatur.  
Pro quibus ille officiis quantam mihi semper ha-  
buerit,



buerit, quantamq̄, in loco retulerit gratiam; multi tecum, Ubaldine, sed tu in primis, quem ille plurimum diligebat atque observabat, non semel testatus es: quippe qui publicè ac privatè gloriantem sæpè audieris, quod nostris imbutus præceptionibus atque hortationibus, ad eam ingenii gloriam, eumq̄, vite splendorem ex imo in altum crevisset. Mitto, inquam, libenter illa, que non unus mihi prestitit Palettarius, sed cum eo plerique omnes; qui se ad meam disciplinam omni tempore contulerunt: quamvis enim rara esse dicatur vulgo gratia discipulorum, tamen mihi (quod divina clementia acceptum refero) gloriari licet, per totos ferè viginti annos in docendo consumptos, esse repertum ad hanc diem unum, aut omnino alterum, qui se parum mihi gratum præbuerit: alii me semper dilexerint, ornaverint, coluerint, & hodie ut cum maxime priorum, nõ presentium memores, observent, atq̄, venerentur. Jam ea vide, qua mihi flebiliorum quam ceteris, faciunt Palettarium. Accidit ut olim puer à patre deductus sit ad me domum, & mihi non solum in disciplinam, sed etiam in clientelam & fidem datus. Egi autem non semel cum Illustrissimo Fulvio Corneo Cardinali, ut puerum egregia indole, ortum patre juxta pauperissimo, & de paupertate, præsertim religiosa optimè merito, in Seminarium legi & cooptari juberet: nec tamen prius impetravi, quam ego



*in aliam conditionem invitatus, & Collegio egressus, ei locum feci. Septennio autem post, cum mihi extraordinarium docendi onus in publico gymnasio assignatum foret; & biennio post Vincentio Obonio dicendi magistro jam seni adjutor traditus, cum haud ita post, cecitate urgente, desissem publicam lectionem, & me ad privatam hanc palastram retulissem; in utroque publico munere mihi successor contigit Palettarius, & utroque functus egregie, in altero ipse defunctus: cumq; mihi per singula vitæ spatia semper successerit, in morte oppetenda junior, valentior, utilior antecessit. Nunc me subsequi æquum est, & subsequar, ut opinor, haud longo intervallo, si mutis quibusdam vocibus & predictionibus abroganda fides non sit. Audi verò rem admirabilem, rem incredibilem. Romam venerat Palettarius cum Ubaldo & Giberto nostris, duos circiter ante menses, ut nosti, ad animum per sacros hos dies expiandum proficiscens, litteras à me acceperat ad Joannem Gargam, ad P. Stephonium, ad alios; mandata etiam ad Guidum Sensium, & ad P. Valentinum meum; alia præterea mandaveram ei per litteras: quæ ille omnia strenuè ac diligenter curaverat. Reversus ergo non plus quatrigeno, quam exitiali illo morbo decumberet, ad me in Collegium se contulerat cum Ubaldo, Hondedeo, Ruverejo, & ingenti nobili-  
 O 2 lium*



lium caterva, narraturus videlicet multa mira, in magno catu, de magnis viris. Me verò solitum totos dies otiari, & sedere usq; inertem desidem, eo die domi non invenerunt: nescio qua intemperia post meridiem in hortos Sotios suburbanos me abduxerant, non saltem pramonito janitore, si quis interea me requisisset, ut eo statim excurreret, vel inde me arcessendum curaret. Ita perdididi illum diem, cui par non illuxerat mihi ab decem annis. Deceveram autem qua à studiis vacatio prima occurreret, ea uti, & ad illum venire. Sed me Ubaldu pravenit: cum quo multa, & penè omnia de Palettario. Qui cum ipso illo die graviter agrotaret (fuit enim tertio Cal. Sext. & ille decessit postridie Cal.) ne unum quidem verbum, aut Ubaldo, aut ingenuis adolescentibus, qui cum illo erant, excidit de Palettarii minus commoda valetudine. Ignorasse & illos puto: mihi, ne paulatim dolendo assuescere possem, idem de morbo & de morte nuncius venit tertio nonas ante lucem; cum eam noctem larvis infestam, & plenam trepidationis atq; formidinis extraxissem. Quippe hora inter secundam & tertiam, cum ille scilicet animam efflavit, visus sum audire, imò indubitanter audiui strepentem alis aviculam, primò inter arculas & scrinia volitantem, mox paulatim ad lectulum, in quo ego jacebam, appropinquantem, & mihi ante oculos obversantem, molestam tamen

potius



potius, quam formidabilem: putabam autem aliquo casu egressum cavea carduelem, huc illuc incerto impetu ferri per tenebras. Excivi ergo in anteriore cubiculo stertentes famulos; sed animaculo jam quiescente, jussi & illos tam diu requiescere, dum iterum evocarem, si esset opus. Jam me omnis metus, sed non omnis deseruerat cura; cum ecce tibi ad spondam lecti sinistram sentio accedentem, irruentemq; in me: quod ego illud vocem, nescio, demonem, hominem, larvam: hoc dico, quod scio, accessit, & me innixum cubito, paventem trepidantemq;, adacta pepulit manu tam violenter, ut prope in alterum latus precipitem daret. Ego me millies armare, munire Christiano signo: Deum, Dei Matrem, & omnes Calites implorare: servis redormientibus jam suppliciter, jam minaciter inclamare: nec tantum mihi oris, atq; animi esse, ut rogarem (quod olim fecisse Brutus dicitur) Quis tu es? Quod si, ut credere mihi expedit, non hac mentis illusio fuit, sed admonitio Dei, quocunq; ad me docendum ministro uti voverit, sive demone, sive larva; & prodigium hoc mihi nihilo minus quam Bruto, indicium est fati appropinquantis: non magnopere commoveor: cum mihi ad communia mala, & ad vulgares causas hujus vite non admodum diligenda, accedant privata incommoda tam multa, tam onerosa, ut mortem, si non equo animo, certe minus iniquo, quam plerum-



plerique meorum equalium, laturus videar: per quam scilicet quod mihi eripi potest boni, pusillum est, caducum est; quod dari, fortasse magnum & immortale. Fac valeas, nobilissime, & bonis omnibus ornatissime adolescens, quem ego quantum diligam, quantumq; observem, quo minus obsequio ullo testari possim, hoc magis rogo, ut verè, ut sincerè, ut ex animo tuum putes. Perusie, ex Collegio S. Bernardi, 11. Cal. Sept. 1600.

---

ROBERTUS UBALDINUS

M. ANTONIO BONCIARIO, S. D.

PERUSIAN.

**E**T si non leviter, M. Antoni eruditissime, refricatus est dolor tuis litteris, quo ex Palettarii morte affectus tantæ jacturæ acerbissimam molestissimè pertuli; tamen iisdem humanissimis, & non vulgaris in me benevolentia nota insignibus, non mediocriter resedit animus, adeo, ut opportunè expertus sim, quod ajunt, Scorpium afferre cum veneno medicinam. Sic est, mi Bonciari; addam etiam, licet assentari vel defuncto, vel tibi videri possim, me à die illa, qua Palettarii obitus renunciatus mihi est, non aliud accepisse solatium, quam quod tua mihi litteræ attulerunt. Verum dum tibi officiosam, amantem, obsequii & observantia plenã epistolam

lam



lam dare paro, vereor, ne luctuosam, merore  
 lacrymisq; refertam accipias. Scribis mihi ne-  
 scio amantiores, an elegantiores litteras de Palet-  
 tarii morte; possum ne respondere tibi jucundum  
 aliquid, & suave in tam funesto scribendi argu-  
 mento? Patiare me nunc amici potius memoria,  
 & mœrori reliquo satisfacere, prope diem officio  
 meo, & gratia quam tibi debeo, satisfacturum.  
 Revocat enim me dolor, & si recenti solatio de-  
 lenitus, ad lamentandum, & cogor, querelis etiã  
 invitatus tuis, jactura mea gravitatem, non le-  
 viorem, quam tua, expendere. Doles tu ereptum  
 hominem a pueritia tibi obsequentem, præceptis  
 instructum tuis, doctrina excultum, moribus in-  
 formatum, officiis emptum, beneficii memorem,  
 grati animi testificatione insignem. Dolco ego  
 egregium studiorum meorum a prima ætate ad-  
 juctorem, hortatorem assiduam, amicum diutur-  
 na familiaritate conjunctissimum, consiliorum  
 omnium participem, mutuis singularis benevo-  
 lentia monumentis devinctum, in amicitia ex-  
 colenda alacrem, solertem, piam, religiosum. Au-  
 getur tibi dolor, quòd diu absentem non videris,  
 reversum, te advenientem non exceperis, defunctũ  
 prius, quam egrotantem audieris. Licet tam  
 subitus improvisa mortis eventus mihi tecum  
 communis sit; habeo tamen multa acerbiora, pe-  
 culiaria, quibus tangar unus. Venerat Romanũ  
 Palettarius, declinante jam vere; exceperam



eum domi mea, aspectus nostri biennii jejuniis  
 avidissimum, nostris colloquiis, nostris comple-  
 xibus inhiantem. Longum esset tibi referre, ut  
 jucundos, ut suaves, ut beatos dies illos transegi-  
 mus, quibus simul revocata consuetudinis deli-  
 cias gustavimus. Nullum illi (quæ vis amo-  
 ris est, & fati appropinquantis) frequentius ex-  
 cidit verbum, quam sibi compoti desiderii illius,  
 quo maxime flagraverat, dies ullos non illuxisse  
 feliciores, nec fore unquam ut illucescerent. At  
 ego, Deus bone, quantam letitiam, quantam vo-  
 luptatem sensi, delectatus honestissimis egregii  
 hominis moribus, ingeniosis salibus, hilaritateq;  
 illa non levibus indicibus suam in nos benevolen-  
 tiam testante. Addeam, ex quo repetita familia-  
 ritatis vim cognoscere queas, tantam in me ex  
 hoc congressu amoris accessionem esse factam, ut,  
 quem antea singularis amici loco haberem, vel  
 vulgariter admodum, vel non amasse viderer.  
 Vix mensem apud me moratus, de discessu cogi-  
 tare capit, domesticis negotiis in patriam revo-  
 catus. Testor Deum, nihil me sapius, ardentius  
 ab amico flagitasse, quam ut reditum ad au-  
 tumnum differret. Habet Ansideus noster Ele-  
 giam, qua tanquam validissima apud Poetam  
 prece, discessum jam maturantem remorari stu-  
 dii. Nihil obtinui, quò minus media jam estate  
 itineri periculoso se committeret, & ad vos redi-  
 ret, ubi post octo dies exitiali correptus morbo  
 obiit.

obit.



obiit. Hæc sunt quæ Palettarii mortem privatis  
 tibi nominibus molestam, mihi uni reddunt mo-  
 lestissimam. Voluptas ex illo recenter, avidè, af-  
 fluenter capta, amoris vis intensa, acerbio-  
 rem luctum, gravio-rem amicitia effecere jacturam.  
 Restat nunc, ut tam suavi, tam insigni, tam be-  
 ne de me merito destitutus amico, in excolendis  
 aliis, quos plurimos, & antiquiores Perusia ha-  
 beo, & promptior, & diligentior sim, ut quod mi-  
 bi mors, hoc erepto, intulit damnum, gliscente &  
 veterum amore, & novorum numero resar-  
 ciam. Habeo te inter primos, inter digniores, in-  
 ter amantiores, Bonciari amabilissime, quere  
 tantum abest, ut Deus, tanta litterarum jactu-  
 ra, ex humanis velit excedere (quandoquidem  
 tu immortalis potius premii cupidus, & fluxo-  
 rum honorum gnarus, quàm nocturnis larvis,  
 aut insomniis obediens communem hominum  
 vite exitum memorabili sanè constantia expe-  
 ctas) ut diu incolumem servet nobis, patria, huic  
 ætati, quam tua virtus, ingenium, & doctrina  
 mirificè exornat, atq; illustrat. Vale vir prestan-  
 tissime, & me veterem virtutis tua aestimato-  
 rem, amoris tui cupidum, litterarum tuarum a-  
 vidissimum, pari benevolentia prosequere; in-  
 terdum tuis epistolis exorna, & ita utere, ut ho-  
 mine non minus officiis, quàm virtute empto.  
 Vale iterum, & Hieronymum Tetium adole-  
 soentem, non minus probitate, quàm litteris il-  
 lustrem



*lustrem salvere jubeas meis verbis. Roma, prid.  
Cal. Sept. 1600.*



PARS TERTIA.

M. ANT. BONCIARIUS  
FULVIO MARIOTELLO, S. D.

**F** Gisti mecum nudius tertius, uti excogitare mihi Emblemata seu stemmata, quod & nostra Academia, & quoad ejus fieri potest, etiam fortuna mea responderet. Non verebor fateri apud te, quod in hoc genere mihi accidat. Primum non ita valeo ingenio, qualem qualem me facias, ut quidquam ejusmodi investigare possim, quod viris duntaxat paulò humanioribus satisfaciat. Deinde, ut mihi quidem videtur, emblemataria ista ratio jam est adeò attenuata, & tam multis obsepta difficultatibus, ut ex multis stemmatum millibus, quae circumferuntur, à viris doctissimis inventa & fabricata, perquam pauca Criticorum reprehensiones effugere potuerint. Etiam illud solet usu venire, quod in nostris agnoscimus Insensatis, ut plerumq; minus eruditi nobiliora stemmata sibi inveniant: docti & acuti magis communia & vulgaria. Huc accedit, quòd jam adeò crevit novorum numerus inventorum, adeoq; in angustum

stump



stum redacti sumus, ut non animal, non planta, non lapis jam sit, cujus modò vim aliquam & proprietatem Aristoteles, Theophrastus, Plinius memoria prodiderint, que in hunc usum a recentioribus Academicis extorta non fuerint.

Quam metuo ne hoc etiam, quod mihi post longam meditationem in mentem venit, ab aliis ante fuerit usurpatum. Torcular facio, sive vinarium, sive quod magis placet, olearium: in quo fiscella olivis infarta, præloq; subjecta, quantò validius premantur, tantò magis persuant, & uberiores liquorem exsudent. Inscriptio ferè hujusmodi succurrebat, Calcata redundat. Nomen verò Academici, L'Oppresso. Ac si tibi, Mariottelle, non satisfecero, confugiam videlicet ad illud, quod initio scripsi, Qui ista sollertius atq; acutius rimantur, solere esse hebetiores; qui crassius atq; hebetius, eruditiores. Tu utris me adnumerandum censeas, homo elegantissimus, non laboro: nam in altero opus laudabitur, in altero opifex. Vale.

---

FRANCISCO VICINO,

CANONICO.

**N**on semel ex te audiui, cum diceres, in libris hominum nostri seculi evolvendis, hanc esse tuam consuetudinem, ut si liber placeat, non celeriter percurras atq; absolvas; verum potius inter legendum crebro insistas, &  
ad



ad finem lento gradu progrediare, quasi metuas, ne te nimium citò voluptas legendi deserat: contra si liber minimum sapit, & ad tuum gustum non est; aut statim rejicias, aut totum devorare continenter. Id quod volo scias, etiam mihi accidere, non modo inter legendum, sed etiam inter edendum. Ubi enim forte fortuna nonnihil edulii lautioris apponitur, paulatim soleo degustare & ligurire: ac ne me oculi fallant, mandavi puero, qui mihi obsoniorum frustula in os ingerit, ut me identidem admoneat, quatenus sensim decrescat pabulum, & quantillum supersit; ne quando me imprudente destituat, & frustretur expectationem meam. Vides opinor, vicine amabilissime, quam rem agam, & quò hæc mea spectet oratio: nimirum quia es paulò tardior in mea Introductione recognoscenda, & subscribenda; venit mihi in mentem suspicari, num forte ex eo librorum numero sit tibi Rhetor meus, quorum lectio te oblectet atq; detineat. Quod si diutius cunctabere, nec propediem nobis illum remiseris: periculum est, ne qua iterum repat ad animum ambitio: quam aliquot ante annos, id est, a quo die, omisso rerum studio graviorum, dedi me ad Grammaticos reformandos excudendosq; foras truseram, & longè gentium amandaveram. Sed extra jocum, placet mihi majorem in modum, quòd istud quanquam puerile scriptum, accuratè legas, mihiq; postea de illo, ut soles,

soles,



soles, *judicium tuum liberè aperiatis. Quod nisi utendi tempus appeteret (porrò ante Cal. Novembris necesse habeo Rhetoricam interpretari, & spatium intercedere oportet, quo à Typographis describatur) magnopere à te contenderem, ut inspiceres diligenter, nec mihi redderes ad multos dies. Quin etiam, si res diuturniorem moram ferre posset, Rubini nostri limam desiderarim: neq; me praterit, quanto liber ornatior & instructior exiret in publicum, si ab eo quoq; singularis eruditionis & judicii viro, severius castigaretur. Vale, & illi plurimam. Ex Collegio S. Bernardi, Idibus Septembris.*

---

GAROFANO DE GAROFANIS.

**O** Dulces & planè nectareas ficus, quas hodie manè attulit puer tuus. Liquet mihi dejerare, non me gustasse hoc anno suaviores: itaque cum ab iis coenam inchoassem, & me prater cetera expectaret gallinaceus, à cocula moniali probè infartus, & concinnatus: tamen earum illectus dulcedine ultra dimidiam coenam imprudens provectus sum, nullo prater ficus libato edulio: horum autem me non bonitas duntaxat, sed etiam magnitudo delectabat. Apage ficellos istos delicatorem mensis expetitos, & gulis plus nimio curiosis in pretio habitos: mihi dentur ejusmodi, qui non tantum palato sapiant, sed  
 etiam



etiam fauces impleant. Quod utrumque cum  
 ficibus tuis semper adsit; merito te munificum,  
 beneficum, & magnificum prater ceteros possim  
 dicere: est enim munificus, qui sicus munera-  
 tur, beneficus qui bonos, magnificus qui magnos.  
 Vale.

---

POMPEJO SIGNORUCCIO  
 BURGENSE.

**D**uo quæsit ex me tuo nomine lectissimus  
 puer Leonardus Gherardius, discipulus o-  
 lim tuus, nunc meus: ad qua tibi quamprimum  
 rescribi postulas. Omnino meritus es pro tuo stu-  
 dio erga Grammaticos à me illustratos, ut, post-  
 habitis rebus omnibus, tua statim obsequar vo-  
 luntati. Quæris primò, qua impulsus causa, de  
 conjunctivo ita præceperim, in meis ad Donatū  
 Notis, Amaverimus, Amaveritis, penultima  
 correpta, tam in præterito, quàm in futuro, usita-  
 tius & commodius pronunciantur. Hoc dicis esse  
 contra Canones illustrium Grammaticorum, si-  
 ve veterum, si ve recentium, qui, rimus, ritis, in  
 præterito corripunt, in futuro producunt. Sed vi-  
 des profecto præceptionis nostræ causam duplicem,  
 usum dico hominum eruditorum, & commodi-  
 tatem tam docentium, quàm discientium. De  
 usu hoc ajo, quod comperi & scio, Cardanetum,  
 Muretū, Maffeam, Bencium, aliosq; magni no-  
 minis Oratores, quorum ego imbutus præceptis  
 &



Et disciplina, traductus ad docendum sum, non  
 aliter quam ego scripsi, consuesse dicere, Et do-  
 cere. De commoditate planum atq; perspicuum  
 est. Te miror, Signorucci, si expertus non es,  
 quam difficile sit inter legendum retinere illud  
 vulgatum discrimen prateriti temporis, Et fu-  
 turi. Age, considera mecum unâ principium  
 historia Liviane. Facturus ne operæ pretium  
 sim, si à primordio Urbis res Pop. Rom. per-  
 scripserim, nec satis, &c. Verbum illud, per-  
 scripserim, rogo, cuius est temporis? prateriti  
 né, an futuri: Utrum dixeris, redarguam atq;  
 refellam facile: non est enim futuri temporis,  
 quia non desinit in ro, ut Amavero, Et est prate-  
 riti, quia desinit in rim, ut Amaverim: contra  
 non est temporis prateriti, quia non significat  
 rem prateritam; Et est futuri, quia futuram.  
 Vox igitur prateriti est significatio futuri. Quod  
 eò pertinet, ut ostendam, prateritum Et futurum  
 subjunctivi pro eodem usurpari, nullumq; inter  
 ea discrimen fieri, tantum exitu, sive flexu pri-  
 ma persona discrepant: quia illud in rim, hoc in  
 ro desinit; in ceteris tam voce, quam significatio-  
 ne consentiunt. Nunc faciamus Livium loqui per  
 numerum multitudinis hoc pacto. Si res Populi  
 Romani perscripserimus. Quis nõ hareat, lon-  
 gané, an brevi penultima proferendum sit illud,  
 Perscripserimus? ego sanè si ad illorum normam  
 regulamq; habeam enunciare, omninò nesciam,  
 neq;



neq; video qui scire quisquam possit. Antè enim divinare oportet, à praterito né brevitatem, an à futuro lōgitudinem secum afferat: & producarné, an corripiam, parata est excusatio, quare dargui non potest, si dixerim (vel si dixero, quod idem est) me brevem à praterito deducere, à futuro longam. Melius ergo ac commodius, vel utraque producentur, vel utraq; corripientur: sed ego alterum malui, quia corripientium numerus major est, certè gravior: & aures ipsa nescio quo modo brevitatem in illis vocibus magis amant. Erat nodus alter implicatior, quem tibi postulas expediri eadem opera. Sed me hodiernae occupationes nimium dstringunt: cras absolvo; si me ille aut solvunt, aut laxant. Vale. Perusia.

## E I D E M.

**M**atutina explicata schola, mei pueri ad prandium, ego ad te redeo Signorucci: cuius altera erat questio de voce, Sicut, in suas syllabas distinguenda: est enim, ut scribis, ambiguum de, c, littera, utrum ad primam, an ad ultimam pertineat syllabam. Ortographi nobiliores ajunt, eandem debere esse rationem conjungendi, & disjungendi: & unamquamq; dictonem esse resolvendam in eas partes, ex quibus conflata est. Quare cum duae particulae, sic & ut, coierint in adverbium sicut: dividendi erit eadem

dem



*dem ratio, quæ fuit cõponendi, sic ut, non si-cut. Quomodo placuit Manutio dividi alia præter vulgarem consuetudinem, Et. iam, non E-tiam: Per-it, non Pe-rit: Dis-cerno, non Di-scerno, & pluritalia. Atq; hæc est non unius Manutii, sed plane omnium, qui præstare aliis putantur, de recta syllabarum divisione sententia: quam quidem ego non solum publicè docui, sed etiam magis publicè in litteras retuli, & doctorum auctoritate firmavi. Ceterum quia me paulo aliter multorum annorum exercitatio docuit, non verebor, haud dico quid sit optimum, quod nec mea tenuitas potest, nec pudor sinit, sed certè quid mihi probabilius videatur, non definiendi causa scribere, sed disquirendi. Putem igitur communem illum canonem dividendi syllabas eo pacto, quo inter se coierunt, haud ita late capiendum, quasi aptari possit ad singula: sed esse aliqua ratione restringendum: ita, ut non solum habeatur ratio compositionis, sed etiam pronuntiationis: quedam enim particula ita inter se sociantur, & ita altera transit in alteram, ut utraq; amittant aliquid de suo, quod repetere totum atq; integrum non possunt: dico non possunt sine interitu vera atque germane pronuntiationis. Exempli causa, Discessus, Obitus, Interitus, si sic dividantur in scribendo, Inter-itus, Ob-itus, Dis-cellus, quis non intelligit vitari atq; corrumpi pronuntiationem? Credo, quia tres ille  
P præpo-*



*prepositiones in societatem receptæ fuerant ea lege, ut donarent sociis extremas litteras, s, b, r. alioqui neq<sub>3</sub> conjungi, neq<sub>3</sub> exerceri posse societatem. Esto igitur, mea quidem sententia componendæ ac dividendi ratio par atq<sub>3</sub> eadem, in quibus aures non offenduntur, & dictionum natura consentit: qualia sunt Per-turbo, Inter-pono, Ex-æstuo, aliq<sub>3</sub> generis ejusdem. Ubi verò pronuntiandi ratio insigniter læditur, & reclamant aures erudite: malim ita dividere, ut nunc video esse conjunctas, non ut antea se cõjunxerunt: sic dicam pe-rimo, e-tiam, hunc-cine, potius quam per-imo, et-iam, hunc-ine, hos-ce. Cum enim ratio scribendi ad lectionem, tanquam ad finem referri debeat: necesse est, dictiones eo modo scribere ac distinguere, quo leguntur, & preferantur. Habes meam sententiam fortasse paulò liberiores, quam me deceret adversus consensum hominum eruditorum, contra Magistros meos, atq<sub>3</sub> adeò contra ipsum me. Quam audacia notam utinam ea satis eluant, qua supra scripsi, usus, atas, indagatio veritatis. Vale. Perusia.*

---

VINCENTIO CASTELLANO.

FORO SEMPRONIUM.

**J**O. Baptista Tambius, homo & litteris, & humanitate politissimus, cū ad me in Collegium se contulisset, de Passionæo puero populari vestro, convictore nostro quaesiturus; ubi ex me de  
suo,



suo, quæ vellet, audivit; quesivi ego vicissim de te, quid ageres, quid molireris, ecquando esses daturus de Origine provinciarum atq; urbium: id enim à te expectari post luculentissimum de Regis officio commentarium, ut quem sedulo excoluisses, & regere docuisses, ei domicilium quoque apparares & regnum. Respondit, te quidem satis belle valere, sed affectum ætate jam minus minusq; cogitare de novis studiorum laboribus: præsertim cum pars earum vigiliarum furto tibi erepta fuerit nullo exemplo, pessimo exemplo. Indolui re audita, quantum exprimendo aptius non sum: capior enim mirificè tuis lucubrationibus, Castellane, quæ una opera linguam expoliunt, pectus instruunt, mores formant. Quanquam tibi sive ad nominis eternitatem sive ad animi equitatem provisum est satis; nobis ad expectationem non satis: qui, si fieri possit, libenter aliquid dempserimus ex vita nostra, quod adderetur ad tuam, ego maxime, qui si conferrem de meo aliquid, consulerem mihi potius quam tibi. Quid enim? ab infimo ungue ad capillum summum, quod ajunt, mutilatus, distortus, lacer, & quod pessimum est, etiam luce orbatus, vitam traho ad miseriam: ut planè beneficii loco habere debeam, quod lever aliquo annorum pondere consequentium, si qui tamen consecuturi sunt, ac non mea propius abest, quam metuo, anima demigratio: certè turgurio tam cæco, tam



incommodo utitur, ut mirum non sit, eam dies nocteque cogitare de abeundo. Verum hac nos inquirere omittamus, quae tam obscura sunt, quam in nostra potestate non sunt. Vale, & te etiam atque etiam cura, ocellum alterum Latinae linguae: sic enim jure te nominem habeamque, Ursino mortuo.

---

PETRO GENTILI SERAFINO.

**B**Inas à te habeo litteras, eodem propè exemplo scriptas, quibus Grammaticam, & Rhetoricam, à me tertium in lucem editas, instanter possis. At ego neutram mitto, quia neutram tibi opus esse animadverti, quando eloqueris emendate, quod est Grammatici; & dicis artificiosè, quod est Rhetoris. De Grammatica negare non potes; de Rhetorica si negaveris, hoc te argumento redarguam: Vel dicis aptè ad persuadendum, vel non dicis: utrò refugeris, illaqueo te: nam si mihi persuadere non potuisti ut mitterem; non mitto, quia me non moves: si verò persuasisti, non mitto, quia tu non eges. Si me vis mittere, duo haec in unum jungas oportet, quae non modo diversa inter se sunt, sed etiam contraria, ut eadem opera tam sis artificiosus in scribendo, ut mihi possis persuadere; & rursus tam rudis, ut carere omni artificio videaris. Ac vide tamen, quantum te diligam, & quanti estimem mandatum tuum. Decrevi mittere utramque, si quem tu an-



te a miseris, cui rectè dare possim: nec id quidem injuria, sed fortasse merito tuo maximo: nam si-  
ve mihi persuasisti, mitto, quia motus jam sum,  
& facere aliter non potui: si ve non persuasisti,  
mitto, quia motus non sum, & facere aliter non  
debui: ad illud me impellit necessitas, ut invitus  
paream: ad hoc invitatur humanitas, ut libens do-  
ceam. Vale.

## CÆSARI ODDO.

**A**ccepi heri vesperi tuo nomine ab ancilla,  
bonam leporem, mala poma, mediocres lit-  
teras, suavissima omnia, litteras paulò suaviores,  
quod non solum benevolentia, sed etiam dili-  
gentia tua argumento fuerunt. At ego te non  
venatum istuc, sed vindemiatum dimiseram:  
unde pro uva lepores? nisi si, quod facile suspi-  
cior, hæc animalcula tuis vindemiis insidiaban-  
tur, ideoq; meritas edacitatis & astutia pœnas  
luunt. Amote, quod victoria tua me partici-  
pem facis, & una cum Baronio nostro multam  
habeo gratiam. Quod si mihi quoq; nostri Pro-  
ceres ita indulgerent, ut dies aliquot rusticari  
paterentur, spes esset etiam gratia referenda,  
teq; in eodem genere remunerandi. Scis enim  
profecto, quàm sim ad venandi studium accom-  
modatus, quàm fortis ad nemora pedibus pera-  
granda, quàm perspicax ad feras è longinquo  
speculandas, quàm robustus vel ad jaculum in-



torquendum, vel ad bestias venabulo transverberandas. Interea venationis tuae praeiis fruatur, & si forte non minore studio Musas tuas, quam amicitiam colis meam, faciam tibi, quantum volens remittendi animi facultatem. Me quod expectes, nihil est. Meus me Mangionius retinet, qui hoc quatrigeno Romam recogitat: & vacationis dies propemodum exierunt, perendie, aut postredie eius diei ad quotidianos docendi labores redeundum est. Vale, & Patrem excellentissimum cum suavissimis fratribus jube a me salvere. Perusia.

---

VESPASIANO CHRISPOLTO.

**N**otum est tibi amicorum intimo, quantum faciam, semperque fecerim illas Phœbi delicias leporesque flexanimos gratiarum; mel dico illud ac nectar Musarum, quod ego primum ex ore libavi tuo, Aurelium Ursum: hoc verò notum non est, quo studio illum, & quanto tempore, & per quam multos indagatores conquiserim. Urbem mehercule vel emporium paulo celebrius in Italia esse non arbitror, quo litteras non dimiserim ad illustres bibliopolas, & nostrates eò itantes sive amicos, sive mercatores non admonuerim. Ursus tamen haud usquam comparuit. Suspiciatus interdum sum, etsi erat amabilissimus & mitissimus, ne canum oblatrantium infestatione fugatus in solitudinem refugisset, aut  
 uspiam



uspiam lateret inglorius. Itaque potiturus præda  
tam nobili, tam insigni, ô ego quam multos illi  
tetendi laqueos, ô quibus artibus & insidiis sum  
aggressus Ursinam venationem! per Latium,  
per Umbriam, per Etruriam, ad usque culmen  
Apenninorum dispositos habui, qui indagarent,  
qui exciperent: maxime autem obsedi Roma-  
na latibula, & nativa cubilia, in quibus pro  
certo habui me reperiturum. Sed frustra omnem  
operam artemq; consumpsi: pleriq; captatores fe-  
rarum talium aut diu illum non viderant, aut  
non meminerant, non audierant. Quare spes  
fermè omnem abieceram inveniendi; cum ec-  
ce tibi, qua scrutatus non fueram, ex Gallia  
Cisalpina, nemine impellente, præceps ruit in  
retia, & ad me vindictus deducitur. Non crede-  
res, quanto cum gaudio sim amplexus, & quam  
suaviter iterum atque iterum osculatus. Carum  
enim optatumq; suo merito semper futurum,  
mora longior, & crebra frustratio cariorem  
mihi non paulum reddiderunt. Fussi ergo laxa-  
ri vinculis fugitivum, eductumq; velut erga-  
stulo & carcere, fatigatum de via refici, &  
cælo frui liberiore. Solutus igitur, & à me  
per interpretem ad familiare colloquium in-  
vitatus; heu heu quam triste de se spectacu-  
lum præbuit! strigosus, exanguis, luridus, to-  
to corpore crudeles plagarum vibices, & co-  
rium miseris modis lacerum ostentabat. Cre-



deres, cum dentato illo & ungulato leone Nemeo, vel cum horribili aliquo rhinocerote male pugnasse. Vidi ego, Crispolte, meis manibus, meis auribus recentium vulnerum cicatrices, nondum fideliter coherentes: vidi inquam, per aures internuncias, atq; per testes manus, tam insigniter, tam expressè, quam qua oculis audiuntur & tanguntur. Zopyrum alterum videre mihi videbar, qui se crudeliter fustigandum, mulcandumq; macipiis suis dederat, ut per specie transfuge hostes falleret; nisi unum intererat, quod ille vultum quoq; de honesta verat, naribus auribusq; truncatis: noster verò unam gerebat faciem non violatam: cui non hostium miseratio pepercerat, sed immanitas. Volebant enim ex ore intelligi, quis esset, cum in ceteris adeò discriminum notas interpolassent, & confudissent, ut ne tu quidem, Vespasiane, posses agnoscere. Querenti autem mihi causam, & auctorem tam fœde lacerationis, gracilem ille intendens voculam, Religiosi, inquit, Bononienses mo castraverunt. Causa vero quenam iis fuerit in me immaniter seviendi, tam ego nescio, quam vos qui queritis: unum scio, nihil a me procaciter aut petulanter esse commissum: commissum autem? imo non unum verbum excidit mihi, quod honeste aures non admitterent. Arrisi interdum ridentibus, & lectorem jocosis salibus recreavi; etiam turpicula quadam inserui: sed adeò urbanè

banè



banè ac temperanter, ut nemo frontem arguere, neq; pudorem damnare posset meum. Nobis autem obstupescantibus, & tantum facinus vix credentibus, Utinam, inquit, possem vobis hoc, quod incredibile videtur, aliquo testimonio comprobare: sed immanissimi hostes ne testem quidem reliquerunt mihi, qui meis querelis faceret fidem: satis dicebant credituros, qui me non negligenter inspicerent. Quo dicto, cum se totum nudasset, suaq; ulcera diligentius indicasset; tenere lacrymas non potuimus. Cribrum mehercule dorsum diceres, non frumentarium, aut furfuracium, sed ut Plautus ait, carnificinum; aut frumentarium illud quidem, sed agricola valde pauperis: adeo non solum crebris, sed inequalibus & distortis & perturbatis horrebat plagis; quandoq; terna & quaterna foramina, propter vicinitate mutuo se complexa, coibant in unam aream, ut interdum plura cubicula, perfosso pariete intermedio, in spatiosam laxantur aulam. Erat autem hoc miserabile in primis, quod cum ampliores lacunas explere vellent, sartores imperiti assuerunt sæpè de suo aliquid, ut pannu purpure; locosq; aliquot miris modis interpolarunt; quos utinam laceros & mutilos reliquissent: minus moleste ferrem: nunc dupliciter peccant: crudeliter vulnerant, crudelius medentur. Sed querelarum plus est fortasse, quam opus fuit: remedia tentanda sunt certa, ultima, expedita.

P. 5.

Frater



Frater hic noster est, Crissolte: tuus verò amicus, aut primus, aut inter primos: hoc ego olim ex te didici, nuper ex illo omnes, qui missos ad te versiculos lectitarunt. Parata nobis rem molientibus, vel officii vel pietatis; tibi verò etiam grati animi laus est. Benefactum quod animus, non ut agrotat periculosius quam corpus, ita etiã difficilius curatur. Ursina vulnera, mihi crede, tam facilia sunt ad sanandum, quam ad curandum non molesta. Casarem gentilem tuum rogemus censeo, ut exemplar ab auctore ipso vulgatum, quod tu scilicet commodare poteris, Academia nomine recudendum curet; & comitem ei, si videbitur, adsciscat Palettarium: quod si me quoq; jungendum censeas duobus mortuis semivivum, non recusato, vel ut, me urgente, maturetur editio; vel certè ut appareat uterq; formosior comparatione deterrima. Vale.

---

THEODORO ULMAN. V. C.  
BONONIAM.

**M**issos ad me versiculos antè acceperam, & dilaudaveram, neq; rescripsi tamen: & vide causam. Ego, vir optime atque doctissime, sum ita factus, natura primum, deinde etiam institutione atque consilio, ut cum omnibus licet gravissimis atq; honestissimis viris agam liberè, ingenuè, simpliciter. Fui olim adolescens à duobus Cardinalibus, Sirleto, & Corneo datus Mu-

reio



reto in disciplinam, eiq<sup>3</sup> scio me fuisse carum in  
 paucis: licet hoc quidem non obsequio meo ma-  
 gis, quam Principum talium commendationi  
 acceptum referam. Mureto extincto, contuli me  
 ad duo, quæ tum maxime splendebant, litte-  
 rarum lumina, Bencium & Maffium: cum  
 quibus tanta me familiaritate conjunxi, quan-  
 tam utriusq<sup>3</sup> in me honorifica testimonia, litteris  
 etiam consignata declarant: ad hos tamen cum  
 scriberem, & cum hodie ad Maffium scribo;  
 miraberis, quam non ampliter, neq<sup>3</sup> magnifice,  
 sed modeste, vel potius intra modum, tales viros  
 appellare consueverim. M. Antonius Boncia-  
 rius Mureto I. V. C: P. Francisco Bencio, ami-  
 co maximo: Patri Maffeo Societatis Jesu S. D.  
 Ad amicos verò sive æquales, sive paulò superio-  
 res, nihil soleo ferè addere supra vulgares titulos.  
 Nec sanè quemquam reperi ad hunc diem, qui  
 meam sive loquendi, sive scribendi libertatem,  
 aut rusticitati, aut superbiæ imputaret: laudant  
 potius atque commendant, mecumq<sup>3</sup> jus idem  
 agendi libenter usurpant. Unus es Theodore,  
 cujus insignes tituli nobilitatum, generosita-  
 tum, virtutum omnium pondere, meam obru-  
 unt infirmitatem: mea enim est mentis acies  
 imbecillior, quam ut tantam claritudinem fer-  
 re queat: vel me languidiore stomacho putes li-  
 cer, quam ut cruda ista honorum insignia possim  
 coquere. Habes causam silentii mei, habes vite  
 . morumq<sup>3</sup>



*morumq; imaginem leviter adumbratam: quã  
si probabis, si imitaberis; amicum eris nactus re-  
tenuem, verbo parcum, animo magnum, atque  
munificum. Vale. Perusia.*

EXCELL. URBIS PRIORI  
SILVESTRO ALDOBRANDINO.

R O M A M.

**Q**Uos dedi mense proximo superiore versu-  
culos in sacrum annũ, à ter maximo men-  
di Arbitro, & Avunculo tuo celebratum: eos  
tibi Principi & sapienti super etatem, & mode-  
sto super fortunam non improbari, ex amicorum  
litteris intellexi. Quae fuit causa, cur mihi in-  
mentem venerit ejusmodi ad te litteras dare,  
quibus tibi de propensa erga me voluntate gra-  
tias agerem ingentes, immortales. Sed quoniam  
animo, in una illa cogitatione defixo intentõq;  
neq; verba, neq; sententia suppetebant; cœpi me-  
cum ita reputare. Quae à sumis principibus be-  
neficia veniunt in homines novos atq; ignobiles,  
non dissimilia esse illorum, quae ab alto cœlo, si-  
gnisq; inerrantibus ad nos humiles infima terre  
cultores defluunt: pro quibus lumina illa cœle-  
stia nullam gratiam repetunt, præter unam con-  
fessionis & grati animi. Quare cum gratias age-  
re neq; possim propter infantiam meam, neq; de-  
beam propter amplitudinem tuam: illud candi-  
dè ac sincerè profiteor, me debere tam multas,  
atq;



atq; tam amplas, quot quantasq; in exiguo corpore vastus animus capere potest. Deum precor Opt. Max. ut regiam tuam indolem, bonis florentem omnibus ad amplissima merita dignitatis, & insignia virtutis extollere non gravetur. Perusia.

---

FULVIO ET FEDERICO  
CORNEIS FRATRIBUS.

**D**Ebeo tibi litteras, Fulvi humanissime, debeo & tibi, Federice amabilissime: nec satis mihi otii suppetit ad utrumq; in tanta vel occupatione officii mei, vel festinatione tabellaris vestri. Coniungam igitur epistola, quos scio esse non solum natura, sed animo & studio, addo etiã amore erga me, conjunctissimos: & satis erit duobus unica, quos ego unice duos veneror, & magnifacio: quanquam una duarum instar videbitur, cum à duobus legetur. Vestra quoq; cum in eodem argumento versentur, licet due sint, una tamẽ videntur esse, & mihi fuerunt ut dua, quando à duobus putabam datas. Quod si nihilo minus aliquid a me culpa contractum fuerit; eam penitus diluet huic epistolæ junctum munusculum, Introductio ad artem Rhetoricam. Tamen si, verum ut fatear, vestra anborum littera, tam elegantes, & tam diserta, dubitare me cogunt, ne hoc etiam quod mitto, serum nimis, atq; intempestivum esse videatur. Teneo enim

memo-



*memoria, quod vobis ultrò pollicitus sum, & Excellentissimo parenti vestro semel atque iterum confirmavi, daturum me operam, ut, quemadmodum ante hac in Grammaticis, ita deinceps in Rhetoricis, in Historia, reliquisq; artibus ad humanitatem pertinentibus, me potissimum magistro & duce uteremini. Sed idem nescio quomodo, eam expectationem, eamq; laudem ab industria vestra, vestrisq; in re literaria magnis progressibus, jam mihi video propemodam esse subreptam: praecurrit enim diligentia vestra laborem meum: & plus ipsi discitis, quam ego sim ad docendum satis: qui nisi mature mihi cave-ro, quaq; ad hanc diem prope confecta habeo, tunc tabor in lucem dare; periculum est, ne vobis antegressis, vigiliae meae aliquo post veniant intervallo. Sed utinam mihi Numen divinum adsit, & valetudo si minus commoda & bona, certe non contingat infirmior; mihi credite non committam, ut tyrones & neoptolemi militem veteranum, & jam planè emeritum dimicando vincatis. Interea tam ipsi inter vos, quam utriq; si lubet, mecum discendo & docendo dulcissima emulatione contendite; atq; ita cum animoreputate, à tanta indole, tantoq; ingenio, quantum vobis divina benignitate concessum est, nihil humile aut vulgare, ampla omnia & excelsa, digna vestris majoribus longè illustrissimis, digna Patre & Patruo longè clarissimis expectari. Valete.*

ALE-



ALEXANDRO MAGGIO  
PROLEGATO.

**F**ecit non solum eruditio singularis & recon-  
dita, sed etiam humanitas atq; urbanitas tua,  
Vir prestantissime; ut hesternò congressu, captus  
suavitate sermonem tuorum, non meminerim  
narrare tibi, quod magnoperè narrandum fuit  
de negotio Forocorneliensi: faciam id, si poterò,  
per epistolam: quæ tantum abest, ut aequè affici  
ac deliniri verbis tuis possit, ut ipsa tibi altero  
tantò sit futura molestior. Decanus ille ab Imo-  
la, qui nunc presidet Hispellatibus, duo me ro-  
gat per litteras de Caldoro alumno meo, quem  
clericis & convictoribus Seminarii docendis  
proficere cogitabant: primò habeat nec ne tan-  
tum progressum in Rhetoricis, ut quotannis ter-  
nas aut quaternas orationes, in publico recitan-  
das, conficere possit suo Marte: deinde jubet me  
ad illum scribere, ut tres quatuor uno tempore  
latinas epistolas meditetur, mittatq; ad te, ad se,  
ad Episcopum, ad Canonicos Seminario prepa-  
ritos, quæ si, ut sperat, probata fuerint; tum de-  
mum arbitrari se, illum facile admissum iri. Pi-  
get me, quòd non possum ipsas Decani litte-  
ras ad te mittere: nisi enim ad Caldorum, &  
jussi hominem explorare iterum atque iterum  
vires suas diligenter; atque ubi de re maturius  
deliberaverit, scribere ipsum de sese ad quos  
oporteat,



oporteat, acturum gratias, sive accipiat, sive recuset conditionem. Ceterum ut ego scripturum confido, plures etiam & ad plures, quam jubetur; ita provinciam accepturum non puto, exclusum temporis angustiis, ut etiam ad illos antea scripsimus. Hæc te scire volvi, si quid forte vel ad tuum rescribendi officium, vel ad novam nostram consilirationem attinerent. Vale. Ex Collegio S. Bernardi 14. Cal. Sext.

## E I D E M.

**I**llustrissimum Cardinalem Legatum convenire habeo negotii mei causa: sed dicam tibi, non dum audeo elegantissimo & clarissimo viro hunc squalorem, has sordes, me dico ipsum, objicere improvisus. Ante quispiam leviter adumbret velim, quam ostento ignobile simulacrum. Pictores quam imaginem placere volunt, non ostendunt nisi perfectam: perit enim in partibus delectatio: si vero totam continuo haurias, plenius influit, fortius manet. Contra ego meam deformitatem discerpi malo, & per partes deficere paulatim, quo lentius afficiat, & sensum postea minorem faciat universa. Interim è longinquo reveritus majestatem, bona, fausta, lata illi omnia comprecabor. Vale.

HIERO:



HIERONYMO, MAXIMILIANO,  
ET JACOBO FUGGERIS FRA-  
TRIBUS. ROMAM.

**Q**uo die vestras accepi litteras, humanitatis,  
elegantia, benevolentiaq, plenissimas, hãud  
ita post Episcopus certio rem me fecit, excellen-  
tissimum Magnæ Urbis Priorem, illo triduo aut  
quatruiduo, in Collegium esse venturum, & litte-  
rariis nostris exercitationibus, quemadmodum  
vos olim consueratis, interfuturum. Quæ cogi-  
tatio tantam animo sollicitudinem & curam  
attulit, quantam attulerant vestra littera dolci-  
tudinem & voluptatem. Itaque respondere, &  
gratias vobis agere non prius potui, quam peri-  
culo illo defungerer, & essem animo quietiore:  
quod hodie demum, Superis gratia, mihi conti-  
git, supra quam mea spes & cupiditas fuerit. Ca-  
sus autem mirificus quidam intervenit, qui mi-  
hi & occasionem accelerandi, & argumentum  
scribendi suppeditavit. Propterea quod in con-  
ventu hominum, & doctrina, & nobilitate illus-  
trium, cum fortè inter loquendum mentio esset  
injecta de nostris in lucem datis lucubratiuncu-  
lis, & subinde Hieropylus cum aliquot epigram-  
matis tam Latinis quam Grecis esset allatus; ad  
extremum nescio unde prolata est recens edita  
Introductio ad Artem Rhetoricam: quæ cum in  
fronte Illustrissimum atq, clarissimum Fugge-  
rorum

Q

rorum



rorum nomen ostenderet; non dici potest, quantum vel mihi existimationis & gloria, vel sibi auctoritatis & gratia apud tantos Principes conciliavit. In summa, commendare omnes dedicationem meam: laudare alius vestra familia nobilitatem atq; splendorem: alius memorare potestatem & amplitudinem ditionis: alius deniq; mores vestros, benignitatem, humanitatem, modestiam, aliasq; Principibus dignas artes admirari, & verbis in cœlum tollere. Quamobrem quotidie majorem atq; uberiolem consilii mei fructum capio, quod vos præ omnibus æternum mihi colendos atq; observandos delegi. Qui quidem, haud dico si gratum habuistis, sed tantummodo si offensus non estis mei munusculi levitate; triumpho gaudio, & mecum optimè ac felicissimè actum puto. Valet. Perusia, ex Collegio S. Bernardi, Id. Decemb. 1601.

---

BONIFACIO BEVILAQUÆ,  
S. R. E. CARDINALI LEGATO.

**R**emitto nobilem fusti Lipsii Prefationem, sive, ut ille vocat, Dissertationem ad Serenissimos Archiduces Austrios, & unâ Panegyricum C. Plinii Junioris ad Trajanum Imperatorem, perpetuis ab eo commentariis illustratum. Quibus pervolutandis, idem penitus mihi accidit, quod tu antè monueras, ut comparati ad Plinium sorderent nostri seculi oratores. Ut hodie  
demum



demum clarius atque liquidius introspexerim, quod Muretum praeceptorem meum saepe testantem audieram, quicumque hac tempestate in re litteraria ordines ducunt, eos si ad veteres referantur, vis inter gregarios locum esse inventuros: adeo non solum corpora, sed etiam ingenia progressu temporis hebetiora proveniunt, et mundo senescente consenescent. Mihi vero non modo delectationem Plinius tuus attulit, sed prope etiam salutem: cum enim gravissimo et acerrimo animi morbo ita laborarem, ut dies noctesque angerer, nec me aut amicorum colloquium, aut cogitatio imbecillitatis humana, aut optima conscientia fere quicquam levare posset; unus Plinius nec opinanti optimam atque opportunam fecit medicinam. Nunc accipe de morbo paucis, de remedio paucioribus. Ego, Princeps clarissime, cum viginti ipsos annos in docendo consumpserim, ante in Seminario peradolescens, deinde in Gymnasio publico natu grandior, demum oculis ac membris captus in illustri Collegio, cui prepositus etiam nunc sum: multos habui habeoque alumnos disciplina atque laboris mei, partim claros et nobiles, partim obscuros et ignobiles: utrosque in suo genere, ut mihi quidem videtur: mihi autem? imò patrie et doctis planè omnibus, minimè cōtemnendos. Ex nobilibus illi sunt, quos tu dilaudas, Ubaldi, Hōndedæi, Sensii, Scotti, Garofani, aliique tam nostrates, quam peregrini:



grini: quorū alii alio tempore aut in Collegium nostrum cooptati sunt, aut mihi publice profiten-  
 ti aures dederunt. Abstineo memorare ignobiles,  
 quos tibi propter suam obscuritatem, fortunaq;  
 humilitatem scio esse ignotos, nec fore arbitror  
 notiores, si nominaverim: hos prioribus, quan-  
 tum genere, tantum eruditione putem cedere  
 oportere: sed vulgaribus ac trivialibus Ludi-  
 magistris planè omnibus antetulerim. Hoc verò  
 utrorumque discrimen est, nobilium & ignobi-  
 lium, quod rarum inter nobiles ingratum, raro-  
 rem inter ignobiles gratum reperias. Atq; hoc ego  
 animi morbo affectus atq; afflictus jacebam, quo  
 die missus a te medicus prestò fuit, & opportuna  
 curatione non modo sensum omnem doloris ab-  
 stulit, sed & pristinam hilaritatem vigoremq;  
 restituit. Nam quia scientissimus animorum  
 curator Seneca me docuerat, tria esse morborum  
 genera, qua ab ingratis in benè meritos inveni-  
 solent; primum grave, si non cogitant de gratia  
 referenda; secundum gravius, si beneficium ob-  
 liviscuntur; tertium gravissimum, si pro benefi-  
 cio reponunt injuriam. Agnovit sagacissimus  
 Plinius, me hoc extremo ita laborare, ut extre-  
 mum mihi vitæ tempus adesse videretur: quam-  
 obrem nihil cunctatus ad pharmacum concin-  
 nandum, hanc mihi dictavit formulam, quam  
 subscribo: Liberalitatem jucundiozem debitor  
 gratus, clariozem ingratus facit. Confeci, hausi,  
 valeo.



valeo. Itaq; parum justus est Lipsius adversum Plinium, dum censet, hac illius precepta tantum ad Reges aut Dynastas, non etiam ad privatos homines pertinere. Tibi ego beneficentissime Bonifaci, dubito, utrum optare debeam, gratos ne, an ingratos experiare, quibus bene facis: nam in altero voluptas est major, in altero fama celebrior. Vale.

## E I D E M.

Sedulò operam dedi, quantam potui, quãtam debui, Princeps illustrissime, ut filiola fratris tui recens mortuæ concinnarem epitaphium, ad eam rationem & formam, quæ mihi a te prescribitur per epistolam. Sed est omninò difficile, ista tam multa, atq; tam varia quatuor aut sex versiculis includere, paternam atq; maternam nobilitatem; vitæ tempus, quod quintum mensem non explevit; patriam Ferrariam, ubi gignitur; & Perusiam ubi nascitur, ubi moritur. Quod si ad nudam historiam argutum aliquid atq; urbanum adjicere oportet, ut scribis, ex occasione S. S. Innocentium, quo scilicet die mortem obiit; ea res nihilo brevius exprimi potest, quam uno saltem disticho. Confeci autem duo, ex quibus utrum minus displicebit, eligito.

Q 3

TU:



---

TUMULUS BLANCAE  
MARIAE.

Blanca fui Bevilaqua: Parens Aloysius: ante  
Vix quinos menses me Leonora parit.  
Et, qua luce frequens Domino cadit hostia Bethlé,  
Alba rubescenti misceor agna gregi.

IDEM ALITER.

Blanca mihi nomen: Comites utrumq; parentem,  
Collatus matrem dat, Bevilaqua patrem.  
Gigner ad Eridanum: præbet cunabula Tybris:  
Menses vix quini dant rapiuntq; diem.  
Et cado, Betlemius cum crebrior occidit infans,  
Candida purpureis mixta puella choris.

---

CAROLO PIO, V. C.

**H**oc tempore, cum mos est hominum tenuio-  
rum munerari claros atque insignes viros,  
ut bonis auspiciis obsequium renouent, & fidem  
testentur suam; mitto ad te parvus cliens Patro-  
num magnum, observantia in te mea pignus,  
haud illud quidem sumptuosum, ac nobile, sed  
tamen ejusmodi, quo ego majus aut pretiosius  
dare hoc tempore nullum queam. Munus est  
non melleum, non sacchareum, non gallinaceum,  
qualia scio sub hos dies confluere ad te plurima,  
sed chartaceum, quale scilicet ex mea taberna  
prodire debuit, aut potuit. Quod tamen si ad illa  
grandia & splendida comparatum, maxime te-

nue



nue atq; pusillum videri necesse est: tamen si accuratius expendatur, fortasse non omnino vulgare aut ignobile censeris, præ illis, potest. Quid enim? alii lepores, aut damas donant; alii aves sive agrestes, sive domesticas; alii cupedia, & varii generis condituras. Magna hæc quidem, certè dulcia & suavia: sed tamen caduca & temporalia. Nostra verò munuscula, juvenis illustrissime, non dixerim immortalia, quod certè arrogans atq; superbum foret, sed certè paulò diuturniora, paulò etiam nobiliora videntur esse, quam delitiæ illæ omnes, quibus edundi aviditas excitatur. Propterea quod si ortus & natura inspiciatur, non pecudum, aut volucrum, aut arborum, sed hoministibi deditissimi fœtus sunt, non ex utero fragiles & momentanei, sed ex animo, sed ex ingenio procreati, robustiores, vivaciores. Quorum si aspectus & forma tibi Principi, non solum eruditissimo, sed etiam elegantissimo, non improbabitur, pergam sollicitare uxorem meam, cum qua penè divortium feceram, ad alios indole meliore liberos enitendos. Vale cum observatissimo tui, amantissimo mei, Francisco Ubaldo, tam mehercule digno, cui docti omnes invident propter eruditionem, quam cui omnes boni faveant propter modestiam. Ex

Collegio S. Bernardi. s. Calend. Ian.

Q 4

JULIO



JULIO CÆSARI STELLÆ  
CLEMENTI VIII. P. M.

AB INTIMO CUBICULO.

ROMAM.

**O** Faustum mihi, atque felicem hesternum diem! Exieram mane, duobus hinc inde subnixus pueris, ut ferè soleo per festos dies, ad sacram concionem audiendam, quam P. Lelius Tolomeus vir eximia pietate, rara facundia, insigni doctrina præditus, erat habiturus apud Jesuitas. Quò scilicet cum venissem, quia templum erat angustius, quia ego tardius eo die iter confeceram, via lubrica & cænosa; quia etiam major solito eo die turba confluxerat, ad discendum, Quis quisq; esset: (hanc enim quaestionem concionator octiduo ante posuerat, disceptandam eo die subtilius, per occasionem intercurrentis Evangelii) quia inquam locis omnibus occupatis, nulla mihi vacabat sellula: in confertam undantemq; multitudinē me conjicio, stans auditurus concionem. Quæ res haud facile dixerim, quam me male torqueret pedibus agrum, de via lassum, & ex longa vexatione propemodum ad languorem datum: nam neq; in eodem stare vestigio poteram sine cruciatu, & ducibus in illa conflictatione amissis, non reperiebam evadendi viam, casurus sæpe hac illac, nisi eadem me, quæ  
impel-



impellebat, turba fulciret. Ecce autem sub initium concionis Proceres, & Magistratus principes: ad quorum adventum, summo per licetorem turba, duo de primariis cum me agnovissent: ultro accurrunt, manu prendunt ducuntque, imò sublimem rapiunt in subsellium longè honestissimum, inter Decem viros atque Consules civitatis. Ac vide, obsecro te, quemadmodum ea res non solum corpori quietè, sed etiam animo fructum tulit: quoties concionator intonabat, Tu quis es? quòd superbia retundenda per totam concionem acriter inculcavit, ille verò mecum maxime, ex adversum illi objecto, colloqui videbatur, & meam mihi exprobrare generis & fortune humilitatem: quasi hoc me moneret, ne multum mihi tribuerem, aut me magnificè circumspicerem, quòd sederem inter Patricios: cum satis constaret, & presentem honorem non virtuti, sed calamitati, & pleraque ampliora non meis meritis, sed aliorum humanitati esse tribuenda. Confirmavit me non mediocriter admonitio illa, & cogitatio ad pondus alterum majoris estimationis, atque honoris excipiendum, quod subscribam, & ad te veniam. Peracta concione, salutat me præter ceteros Alexander Maggus Prolegatus, & me ad familiarem ejus diei congressum invitat. Ago gratias, & spondeo me ad nonam præsto futurum. Eò igitur cum venissem, otiosè congregamur, atque (ut est Maggus,

Q 5

non



non solum majorum disciplinarum & artium,  
 sed etiam elegantioris doctrina scientissimus )  
 continuo in amœnos Musarum hortos delabi-  
 mur: quorum scis eam esse naturam, ut ne neq;  
 pes claudus à discurrendo, neq; cecitas a spectan-  
 do impedire aut retardare possit. Sic igitur in-  
 cedentibus, & mutua voluptate fruētib; hinc  
 atq; hinc letitiæ ingens accessit cumulus, inter-  
 ventu primum Illustrissimi Bevilaque, deinde  
 festivissimi Principis Aldobrandini. Tum Car-  
 dinalis adversum me: Queror, inquit, Bonciari  
 de te, qui tam crebro adeas ad Prolegatum, ad  
 Legatum nunquam: ut me hodie coegeris ad te  
 salutandum venire. Quæ nondum satis extre-  
 ma verba compleverat, cum excipiens Magnus  
 prior, Etiam, inquit, Julius Cæsar Stella per lit-  
 teras te salutat: in cuius pariter, & tuam gra-  
 tiam (subjunxit illico Principis institutor Ger-  
 manicus) si quid est, quod fieri tua causa per nos  
 possit; roga liberè: effectum dabimus. Quid tum  
 animi credis mihi fuisse, tot officiis quasi jaculis  
 impedito, & circumvento? tot responsionibus,  
 quasi laqueis implicato? præterea rudè talium  
 urbanitatum, & ab aulicis verborum deliciis,  
 natura primum, mox etiam vitæ instituto peni-  
 tus abhorrenti? Onus equidem Aetna gravius  
 & difficilius sustinere mihi sum visus, dum pen-  
 deo animi, quæ ratione agam gratias, quid utriq;  
 respondeam, quem alloquar, atq; appellem prius.  
 Deniq;



Deniq<sub>3</sub>, cum neq<sub>3</sub> verba, neq<sub>3</sub> sententia ulla in mentem venirent, Unde, inquam, ad homuncionem tam humilem atq<sub>3</sub> ignobilem tanta, a tantis, & per tantos salutationes, compellationes, honores, gratie? quorum copia concursusq<sub>3</sub>, aliorum super alia incidentium officiorum, ita me obruit, ut neq<sub>3</sub> quid accipiam, neq<sub>3</sub> a quo accipiam, intelligere satis queam: intellecturus utrumq<sub>3</sub>, si aut pauciora, aut non omnia uno impetu evenissent. Nec ferè aliud in eam sententiam adde-re potui. Cum verò reditum ad colloquium de Musis fuit, non passus sum, mihi crede, desiderari loquacitatem & nugas meas. Pudor me tuus impedit, non solum epistola longitudo, Stella doctissime ac modestissime, ne referam ea, qua inter differendum à talibus viris injecta sunt de tua scribendi, rara hoc seculo, facultate. Quo magis incensa est mea cupiditas legendi de tuo aliquid: & expectabam non temerè illo die tuam Columbeida: erat enim quartus aut quintus, ex quo compereram a te datã Juliano bibliopole, amico & populari meo, ut statim curaret ad me tuo nomine perferendam. Ergo non multo ante noctem, cum à Principibus illis vires eundi veniam impetrassem, condicto ad certam diem altero congressu, domo in viam, pedibus domum rediturus. Sed illi natura imbecilles, totum ferè diem agitati & vexati, humo lubrica, cælo pluvio & nubiloso, negabant se tantum iter posse  
confi-



conficere : abest enim longule à foro nostrum  
 Collegium ; & per declivia, per acclivia, impe-  
 dita, inaequalia, duris etiam pedibus metuen-  
 da, regredi oportebat. Tamen, ne dicam dolo,  
 confidebam fortuna illius diei, & metuere pror-  
 sus non poteram, ne non aliquid presto foret in  
 ipso articulo, quod me etiam illa cura atq; peri-  
 culo expediret : nec frustra fuit vel opinio mea,  
 vel divinatio : descendentem namq; per scalas  
 in forum, & gressum agrè molientem inter ma-  
 nus meorum conspicatus Episcopus, qui forte for-  
 tuna tunc ipsum erat ascensurus in currum, &  
 Collegium versus iter capturus, ultrò arcessit, le-  
 tus excipit, & secum vehit. In itinere multus de  
 te sermo, multus de Principe Aldobrandino, cu-  
 jus egregiam indolem, iudex acerrimus ingenio-  
 rum Comitulus, ita extollebat & predicabat, ut  
 constanter assereret, omnia illius acta, dicta, re-  
 sponsa virilem quandam olere prudentiam, nec  
 in eo quidquam videri puerile, præter ætatem.  
 Jam ad Collegium erat ventum; dimittit me  
 Episcopus, & aliò iter flectit : ego me statim con-  
 fero ad scribendum; vixq; ad hunc locum di-  
 ctando perveneram, cum ecce tibi, imò ecce mihi  
 expectatissimus Bibliopola cum Columbeide.  
 Tunc ego, Hoc, inquam, unum, non aliud mihi  
 deerat ad gaudium hujus diei cumulandum.  
 Christo gratia & gloria. Mox jubeo calamos  
 chartasq; auferri, & amanuensi succedere ana-  
 gnostem,



gnostem, daturus tuo poemati audiendo, quantum noctis accurata & lenta lectio ad finem usq; requireret. Sic cum desissem ad te scribere, tecum tamen esse non desii. Sed enim ut epistolam tam verbosam, a gratulando inchoatam, bonis saltem verbis, & omine meliore concludam: Deum precor optimum, Clementissimum, ut & proximos Natalis sui dies festos, & identidem longè multos consequentes jubeat tibi bonos, faustos atq; hilares evenire. Ex Collegio S. Bernardi. Perusia, 16. Cal. Jan. 1601.

## ERASMO PARAVICINO.

Q Vos P. Angelus Justinianus ad me attulit à Tarquinio Gallutio, preceptore olim tuo, scitissimos ac politissimos versus; eos, uti audio, cupis tibi legendos dari, humanissime Paravicine. Sic heri mihi narravit amantissimus atque observantissimus tui P. Livius Trigonius: qui etiam rogare me volebat ut mitterem, si sustinuissem ego rogari, neque preces erubuissem in eo, quod mihi ultrò expetendum fuit. Tantum pro illo officio dignus est visus, ut se potissimum legerem cui darem: in quo tamen arbitratus sum, me ab utroq; vestrum initurum aliquid gratia, si per eam occasionem conveniretis, & alter altero frueremini, opinor, in multos dies. Putabat enim Livius, hoc biduo se discessurum, & te plus biennio futurum apud nos continenter. Et erat  
 alioqui,



alioqui, Trigonio quod deberem: quia prae-  
buit mihi occasionem tui appellandi, atq; adeo  
remunerandi pro laudatissima laudatione Ste-  
phoniana, quam superioribus diebus ad me mi-  
sisti per Hondedaum, magnum latorem magni  
auctoris; neq; sanè minores meos, aut qui dat, aut  
qui datur. Vale. Ex Collegio S. Bernardi.

---

DOMINICO LORENZINO.

CALLIUM.

**N**arro tibi: deterrent me ista cognominum  
portenta Calliensium, Lupi, Luperti, Guli-  
nucii: quos identidem ad nos mittitis. Scis,  
nunquam non mali ominis haberi lupum, &  
tum maxime, cum se ad urbem, ut vulgò ajunt:  
quid duos censeam praesertim Ugulino adjun-  
cto? quod singularem quandam luporum voraci-  
tatem atque ingluviem portendit. Nihil, in-  
quies, à nostris lupis metuendum est mali: ada-  
gium in lupos agrestes convenit, qui non temere  
existimantur ad urbem vadere: nostri urbani  
sunt, mites sunt. Scilicet, nos credo, nescimus illud,  
quod omnes sciunt, Nunquam mansuescere lu-  
pos: & si qui tamen mitiores sint, certè vestri non  
sunt, quos mihi scribis, ideo solum vertere, quod  
parum inter ipsos conveniat. Neq; nomina ipsa  
melioris sunt ominis, quam cognomina, Silvii,  
Pauli, Antonii: ex quibus duo non obscure, u-  
num aperte solitudinem & silvam clamat: ur-  
banita-

banita-



banitatem in nullo possis agnoscere. Quamobrem stultus atq; amens videar, nisi caverò mihi à lupinis dentibus, quorum injuria mea me infirmitas oportuniorem, quàm ceteros exhibet: meas cœnas vix ab hominibus tueri possũ, ne me posse à lupis putes. Quid? tãtũmne edundi omen affertis, non etiam bibundi? Berardus, quid porrò aliud mihi ostendit, quàm qui bibere ardet? sed jam finis nugarum esto. Vestrates adeò se gerunt egregiè, ut nihil malim, quàm multos tales mihi contingere auditores: quo te magis urgeo, mittas istum, de quo iterum ad me scribis. Unus forte fortuna vacat locus: sed multi imminet: dabitur occupanti. fube tuum, si serio cupit, Celerem esse, non Lentulum. Vale. Ex Collegio S. Bernardi. Perusia.

---

SFORTIÆ CORNEO.  
IN SEMINARIUM.

Vidisti heri, quàm diligenter, & quàm sollicitè totã excussimus Bibliothecam, ut Stella novam Elegiam ad me proximè ab illo missam, inveniremus. Omnia scrinia, omnes arcu-  
las, omnes forulos iterum iterumq; subvertimus: nusquam tamen Stella refulsit. Ibi ego, Desi-  
nite, inquam, ea scrutari, quæ inveniri non possunt: Stella per diem latent: noctu querenda sunt. Interdiu videre Stellas non omnibus li-  
cet: ego solis concessam podagricis puto, ut m. cum  
maxi-



maximis atq; acerbissimis pedum doloribus cruciantur: tunc enim adeo efficax est oculorum acies, ut etiam intra parietes, ab interiore conclavi, à ceco cubiculo, à lecto clauso stellas vident in meridie. Alii non vident, nec vos, inquam, videbitis, nisi per tenebras. Nec augurio fides defuit: siquidem paulo post, inquisitione dimissa, & in noctem dilata, domo egredimur deambulatum, ad Fratres usq; monticolas socculatos. Inde primo crepusculo ad Collegium reversi: (ò rem miram, nec novam tamen) super abacum otiosam, ridentemq;, ut opinor, conatum nostrum invenimus Elegiam. Deierare pueri oculatissimi, quorū opera essent usus in perscrutando, ibi potissimum ab se esse quaesitam, ubi inventa est; ibiq; maxime non fuisse, ubi nunc esset: hoc sibi exploratissimum esse, nullum hominem supervenisse queritantibus; nullum antea, nullum postea in cubiculum irrepisse; quia carmen ierit, quia redierit, non constare: illud verò esse certissimum, ab nullo homine esse sublatum, ab nullo esse relatum. Scis communem querelam hominum incogitantium atq; socordium, ut tales culpe ad cacodamonas referantur, verone an falso, ipsi viderint: ego non video: & res videntium tam improbare non debeo, quam comprobare non possum, cecus. Vale. Ex Collegio S. Bernardi. Paulinus te salutatur, ego iubeo Casarem & Lavinium.

DOMI



DOMINICO PASSIONÆO.  
FORO SEMPRONIUM.

**E**T si eram incredibili pedum dolore affectus, cum ad me Bernardus frater epistolam tuam attulit, hoc est ad clamandum, quam ad scribendum accommodatior; tamen quia nimium urges, ut continuo reddam aliquid, & Pater liberis auxilium implorantibus presto adsim; movisti facile, vel tua causa, vel illorum. Utinam equè moveri posset, aut precibus vestris, aut convitiis nostris dolor: accederem multo acrior, certe alacrior ad dicendam causam pro meis. Scribis à docto viro Semproniatè, Castellani alumno, tria in disquisitionem vocari, super editam proximè a nobis Grammaticam, in declinatione, in conjugatione, in syntaxi. Primò non concedit vocabulum, homo, tantum virili genere usurpari, sed vult esse nomen commune duum generum, ut Donatus, Priscianus, & plerique Grammaticorum testati sunt. Confirmat exemplo Plauti: apud quem Alisca ancilla in Cistellaria, Hominis, inquit, misera misereri, hoc est Mei. Secundo negat, rimus & ritis tam in præterito, quam in futuro conjunctivi corripere oportere; sed Diomedem secutus, ait, præteritum semper corripi, futurum semper produci. Tertio non probat regulam de motu per locum in propriis urbium & oppidorum: nos enim se-

R

enti



cuti veteres recentesq; Magistros latinitatis, ita praecepimus, Motum de loco, & motum per locum, sub eandem rationem cadere, & utrumque efferri per ablativum, ut, Venio Florentia, transivi Puteolis. Ille contra, Cicero inquit, cum verbo Transeo, motum ejusmodi significante, non ablativum jungit, sed accusativum, ut ad Atticum lib. 9. epist. 3. Domitii filius transit Formias, id est, per Formias. Respondebo breviter ad singula.

Dixi, Hominem, esse generis masculini, non communis, quia cum masculino adjectivo conjunctum reperitur apud bonos auctores; nusquam verò, quod ego sciam, cum foeminino: quis enim dicat, Hominem bellam, aut bonam? quamquam enim significatio mare foeminamq; complectitur, tamen declinatio masculina est. Exempli causa, Stulti homines voluptatem sequuntur. Non est dubium, quin appellatione hominum, etiam foeminae intelligantur; sed non propterea latine dixeris, Hominem stultam. Hoc modo scilicet dicimus, Aquilas genere foeminino tantum, Passeres masculino tantum, Scorta neutro tantum; cum tamen necessarium sit, & mares aquilas inveniri, & foeminas passeres, & scorta esse generis alterutrius. Ista verò, inquit, videntur vera; sed obstat Plautus, qui miseram hominem dicit: imò verò non solum Plautus, sed etiam Cicero, ut nonnullis videtur. Sic enim in oratione pro Cluentio: Cujus, inquit, ea stultitia est,

est,



est, ut eam nemo hominem; ea vis, ut nemo fœminam, ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. Et Servius Sulpicius ad Ciceronem lib. 4. epist. 5. cum de Tullia loqueretur; Quæ si hoc tempore, ait, non suum diem obiisset; paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Sed duo posteriora non videntur ad rem facere; quia in substantivis copulandis non habetur ratio generis, & tam rectè ac latinè dicitur, Tullia nata fuerat homo, quàm si diceretur, Nata fuerat animal mortale, Cornelia fuit dicta exemplum matronale, Lucretia miraculum pudicitie, Fulvia venenũ Reipub. Quæ quidem, ut vides, singula coherent cum fœminino substantivo rectè & usitatè; nec propterea dici debet, aut potest, fœminina esse venenum, miraculum, animal. Quamobrem aliud querendum est magis idoneum exemplum iis, qui putant, Hominem albam, aut nigram latinè dici posse. Ego tibi sum auctor, Passionæ, ut nihilo plus liceret tibi putare dicere, Homo doctus, & homo bona, quàm mulier doctus, & fœmina bonus. Plautus controversiam dirimeret, nisi corruptus esset locus, quẽ docti viri ex codicibus manuscriptis ita restituunt: Nam & intus paveo, & foris formido; ita nunc utrobique me metus agit: illo sunt homines miserè miseri, id est, Homines miserabilem in modum miseri sunt ob metum. Plautus igitur non adversum nos est, sed a nobis:

R 2

quia



quia cum dicit, homines timere, tam marem, quam foeminam intelligit sine controversia; cum vero addit, miseros esse, non miseras, ostendit genus esse tantummodo masculinum. At Donatus, Priscianus, Diomedes, praeterea Scaliger, Bolzanius, & alii, quos iste tuus auctores habet, uno ore confirmant, Homo, esse nomen commune. Quid illis facias? Ego unum legi Phocam de veteribus, unum Alvarum de recentibus, qui nomen istud masculinum esse affirmant, non commune. Sed cum habeam viros principes latinitatis, qui sic utuntur, ut ego scripsi, nil moror istos, cum sciam ex usu veterum nobiliorum, concinnatam esse Grammaticam, non ex Grammatica usum: & si quis tamen tueri amat turbam Grammaticorum, dicat, hanc fuisse illorum opinionem, ut Homo nomen commune haberetur significatione, non constructione. Ad secundam questionem responderem volentem charta destituit, & otium, & scriptor. Vale. Benedictum patrum perofficose mihi saluta, ite Tambium, & quos praeterea mihi conciliat amor tuus, Castellannum in primis. Perusia. 10. Cal. Sext. 1601.

## E I D E M.

**E** Ram ruri, quo me morbus tanquam in fugam coniecerat, quando sternere ac dejicere non potuerat; cum allata sunt tua littera, qua  
me



me jam segnem, otiantemq; ad pugnam reve-  
cant, pro alumnis meis. Fuit secunda questio de,  
Amaverimus, amaveritis, productane, an cor-  
repta penultima pronunciari oporteret, & esset-  
né ullum discrimen inter præteritum, & futu-  
rum subjunctivi. Qua quidē de re tres novi es-  
se doctorum virorum opiniones, primam ut præ-  
teritum breve sit, futurum longum; alteram ut  
utrumq; longum; tertiam ut utrumq; breve præ-  
nunciatur. Mihi hæc ultima, nescio quomodo,  
magis arrisit; idq; ob tres causas, quia verior,  
quia commodior, quia frequentior: primum  
colligo ex ratione, secundum ex lectione, tertium  
ex usu.

Quem penes arbitrium est & jus & norma  
loquendi, ut ait Flaccus. Audi brevissimè de  
singulis. Ratio ducitur ab Analogia, hoc pacto:  
Quæ tempora habent is breve in singulari, ha-  
bent imus & itis brevia in plurali, ut lego le-  
gis, legimus legitis, ero eris, erimus eritis. Cõ-  
tra quæ habent is longum in singulari, habent  
imus & itis longa in plurali, ut Audio audis,  
audimus auditis, possim possis, velim velis,  
possimus possitis, velimus velitis. Neq; hoc  
præter effectum, caret ratione: consentaneum  
enim videtur esse, ut littera, i, à numero singu-  
lari ad pluralem traducta, suam retineat quan-  
tatem, ac si brevis sit, brevem aliam creet, si  
longa longam. Nunc ad rem. In Amaveris, sive

R 3

à præ-



à praterito veniat. sive à futuro, is breve est, ergo  
 Amaverimus, amaveritis ~~penultima~~ brevem  
 habent. Ad veritatem accedit commoditas le-  
 gentium: quia si tenendum illud discrimen est,  
 prateriti & futuri, ut alterum corripiatur, al-  
 terum producat; potest saepe accidere inter le-  
 gendum, ut alterum ab altero non internoscas,  
 & ita hereas in pronunciando. Exempli cau-  
 sa, Cùm Romam perveneritis, mittite, quæ  
 rogavi. Hic dico incertum esse, prateritumne,  
 an futurum sit illud, Perveneritis: potest enim  
 duobus modis accipi, & ad utrumq; accommo-  
 dari hoc pacto, Cum perveneritis, id est, quo-  
 niam pervenistis, quod prateriti est temporis;  
 vel, Quando postea perveneritis, quod est futu-  
 ri. Sic Italicè clarius, Già che voi sete arriuati,  
 ouero quando farete arriuati. Immo amplius:  
 fac me divinasse, illud Perveneritis significare  
 tempus futurum; tamen dico, adhuc incertum  
 esse, utro modo habeã pronunciare: quia etiam  
 prateritum apud veteres usurpatur pro futuro,  
 & nullum inter ea discrimen cernitur, ut tibi  
 ostendi in exemplo Liviano, Perſcripserim.  
 Si dixero, si dixerim, si respiraro, si respirarim,  
 pro eodem usurpat Cicero. Etrusce hoc melius,  
 Va, è come hai spedito questo negotio, ritor-  
 na subito: ouero, Va, è come hauerai spedito,  
 ritorna. Quibus verbis, ut perspicuum est, idem  
 penitus significatur, licet alterum futuri tempo-  
 ri



ris fit, alterum præteriti. De usu absolvam paucis. Muretus, Bencius, Maffeus, Aldus, præterea quicumq; hodie in celeberrimis Italiae Gymnasiis eloquentiam profitentur, quantum ego partim audiui, partim comperi ex iis, qui audierunt, auctoribus fide dignissimis, non aliter, quam ego scripsi, pronunciarunt, pronunciantq;. Quid queris amplius? Erant tamen alia, quæ adderem, si esset otium. Pro adversariis hoc adscribam: contraria opinio ratione non caret: quia in Coniunctivo secunda interdum producitur. Ovid. lib. 1. Fast.

Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.  
Ideò, sicubi usus ferat, non magnum piaculum  
facere arbitror, qui producunt & illas duas. Va-  
le. Perusia. Ex Collegio S. Bernardi. Mense  
Augusto. 1601.

## E I D E M.

**T**antum non imperaveram Amanuensi, ut  
calamum sumeret, rescripturus tibi ad ter-  
tiam questionem de syntaxi, in verbis motum  
per locum significantibus: cum veniunt mihi lit-  
tere Fabriano, quibus Io. Baptista Vecchius id  
ipsum sibi objectum fuisse significat a nobili Gram-  
matico, qui Corradum & Robertellium audie-  
rat. Itaq; scripsi tunc illi, quæ fui scripturus tibi:  
& nunc do ad te, quæ ad illum. O felicem ami-  
cum meum, si dissolveret hoc modo es alienum  
R 4 suum,



suum, quo modo ego quaestiones vestras; idemq;  
argentum, ut idem sermo, expungeret multa no-  
mina! Vale.

---

IO. BAPTISTÆ VECCHIO, S.  
FABRIANUM.

**G**Ratulor Guarino meo ter. Et amplius, quod  
legitur, quod ediscitur, quod carpitur: oportet enim alicujus pretii esse, cum quo sic agitur a  
doctis. Non legereitur, si esset injucundus; non  
edisceretur, si inutilis; non carperetur, si ignobi-  
lis. Utinam illum tam facile possim defendere,  
quam certe sum latatus, in cessi. Telum est viri  
eruditissimi, ut scribis, adversus nomina ur-  
bium Et oppidorum, quod mihi hodie repellen-  
dum est. Sic ego igitur in syntaxi, Motus de lo-  
co, Et motus per locum in propriis oppidorum Et  
urbium, uno modo efferuntur per ablativum,  
ut, venio Florentia, transivi Puteolis. Quid iste?  
Falsa est regula, vanum exemplum: testis est  
Cicero ad Atticum lib. 9. epist. 3. ubi Transeo ac-  
cusativum habet, non ablativum. Domitii filius  
transit Formias 8. Idus, currens ad matrē Nea-  
polim. Esto: sed num debui ego pro uno verbo,  
totam regulam subvertere? Non puto: quia ge-  
nerales esse oportet regulas, Et complecti omnia,  
vel ferè omnia, quae sub eandem rationem ca-  
dunt, ut Cicero Et Aristoteles testantur: cumq;  
ad hanc regulam multa verba pertineant, non  
oportuit



oportuit me unius verbi, Transeo, sed etiam aliorum, per quae idem motus significatur, habere rationem: ea sunt, Curro, discuro, deambulo, iter facio, & plurataalia, cum quibus ablativum recte conjunxeris, accusativum non recte. Quis enim dixerit, Iter facio Romam, pro eo quod est, Transeo Roma, id est, per urbem Romam? Fuit igitur, ut vides, danda regula per ablativum, quia casus hic quadrat omnibus verbis, motum per locum significantibus, uno excepto Transeo.

Quid si ostendam, ne hoc quidem esse exceptum? Scio, alia exempla olim mihi ex antiquis auctoribus fuisse collecta, quae post leges in Commentariis, nunc unum habeo in memoria. Q. Curtius lib. 6. Equites, inquit, Mileto transierunt: id est, per Miletum. Aptae igitur est regula, verum exemplum. Sed quid respondebimus Tulliano Domitii filio, qui transit Formias, & non Formis? Possem dicere, quod olim rescripsi ad Vincentium Castellanum, à quo hanc opinionem manasse arbitror, in illa epistola significari motum ad locum, & non motum per locum: quod est in hoc verbo maxime usitatum: ut Transire ad urbem, transire in Apenninos, transire domum, pro ire aut petere. Sed concedamus, ut Transire Formias apud Tullium idem sit, quod Transire per Formias: meminisse te jubeo Vecchi, quod non semel ex me audisti, Quaedam esse verba in Latino, quae propter adjunctam pre-

R s

pos-



positionem, ad aliud genus transeunt, & ex neutris activa fiunt: exempli causa, *Eo* & *Venio* neutra sunt, at *Prater eo*, *ante eo*, *prævenio*, *convenio*, *circumvenio* activa sunt, & activorum more construuntur, ut *Anteire militem*, *Prævenire hostem*, *Convenire Imperatorem*: quin etiam passivè usurpantur, ut *Præventus morte*, *Circumventus ab adversariis*, *Præteritus inter narrandum*, & multa consimilia, quæ legentibus passim occurrunt. Quædam tamè ex his ita migrant ad activa, ut in neutris esse non desinant, & duplicem retineant naturam, ut *Adeo* & *Transeo*: dicimus enim indifferenter, *Ad præto-rem adeo*, *Per forum transeo*, quæ sunt neutra: & *Præto-rem adeo*, *forum transeo*, quæ activa. Sic in *Tullio*, *Transit*, activum est, non neutrum; *Formias verò*, accusativus est sui verbi proprius, nō figuratus, & adverbii loco positus. Hoc ipsum docebo pluribus verbis istum tuum, si, quemadmodum scribis, aditurus Romam, transierit *Perusiam*. Vale.

---

### OCTAVIO RODULFIO.

**D**O ad te, nobilissime adolescens, quas requiris epistolas ad *Scottum*, ad *Capponium*; illam tantum ut legas, hanc etiam ut mittas. Video, me in utraq; modum epistola longius excessisse: quæ si non debet, ut ait *Seneca*, sinistram manum legentis implere; ne *Demosthenes* quidem

dem



dem defendat meas, non si ad Herculem aliquem aut Polyphemum mittantur. Sed esto: defendet Aristoteles, defendet Plato, defendet, qui mihi omnium instar est, M. Tullius, qui sæpe faciunt longiores. Ne Seneca quidem usquequaq; præceptionis suæ memor fuit, cujus epistola aliquot non modo unam manū, sed pectus etiam, & tergum impleant, si metiare. Quamobrem de longitudine securior sum: utinam tam facile jocos & ineptas meas possem defendere: minus essem de hac tota scriptione sollicitus. Neq; non fateor tamen garrulitatem meam: sed calamo semel incitato qui temperet? Id ego difficillimum esse audio etiam videntibus, etiam infantibus; ne me censeas posse facere fortuna cecum, natura loquacem, professione magistrum dicendi. Vale, ex Collegio S. Bernardi. Carolum de Campo nobilissimum, optimum, & per omnia simillimum tui adolescentem, jubes salvere meis verbis.

---

ALOYSIO CAPPONIO ABBATI.  
ROMA.

**V** Ah qui dicunt cecos esse memoriosos; & præoptandam esse cecitatem recordari volentibus. Cave credas, ornatissime adolescens: non est, non sunt: ego sum hujus questionis disceptator paulo melior, quam aut mihi expediat, aut facile refellat quisquam. Quid enim? sensus, inquiunt, oculorum propter varias res obiectas,



jectas, quarum imagines & idola frequenter excipit, memoriam plures in partes dissipat, & in unum aliquid intendi non sinit: itaq; qui facilius reminisci volunt, tenebras ultrò expetunt, & in conspicuo si sint, manum oculo opponunt ad turbam imaginum repellendam atq; arcendam. Ego contra ita dissero, Memoriam in abdito latere, segnem ferè & otiosam, nisi a sensibus excitetur, & moneatur: id verò judicare omnes possunt, sed cecus magis. Qui quidem, exempli causa, recordaturus non fuit, sibi domi esse tubera, quæ in cenam parari vellet, nisi afflatus ex illis odor feriret animum, & se per nares ad memoriam insinuaret: non longè abieris: ego ex quo non video homines, multorum etiam amicorum atq; affinium oblitus jam essem, nisi vox, aut ipsorum de se, aut aliorum de ipsis identidem auribus insonaret, & per earum anfractus ad conclave ipsum reminiscentiæ penetraret. Sunt ergo sensus omnium quidem animæ facultatum, & in primis memoria portitores atq; administri: sed oculi supra ceteros, quia & acriores sunt, & latius dominantur in res omnes exteriores: quarum species innumerabiles intermedio aëre, quasi vehiculo in adversum feruntur, & admisse, memoriam sui renovant. Jam vide obsecro te, quàm belle argumentum superius in ipsos recidat adversarios: nam si memoria excitatur objectis formis earum rerum, quas meminisse volumus;



lunus; forma autem ipsa non aliunde aut plures, aut expressiores, quam ab oculo veniunt: quis non videt, ablatis oculis, magnum memoriae adiumentum esse detractum? At concursus & conglobatio specierum ultrò se ingerentium sæpè tumultum ciet in animo, & molestiam exhibet, recordari aliquid festinantibus. Id sanè dubium non est, facultatem ipsam reminiscendæ interdum obrui formarum multitudine concurrentium: sed ideonè satius esse arbitramur, nullas venire, quia multa simul veniant? nemo sanus, opinor, dixerit: nam rerum expetendarum copia potius, quam inopia queritur; nec unquam putatur nimium, quod bonum sit. At copia ipsa perturbat animum, nec sinit interdum legere quæ velis. Promptum est ac facile remedium: secede paulisper, & cohibetam diu oculos, dum memoria intenditur in quod cupis eruere: neq; in totum privari velis eo ministerio, quod ex parte nonnunquam officere videatur: sed quemadmodum à Principe aliquo ad cenam invitatus, ciborum copia offendi non debes, cum tibi liceat omissis aliis, eo vesci, quem tibi aptum putis: ita copiam imaginum tibi per oculos objectarum boni consulere debes, cum ea te non impediatur, quo minus memoria se recolligat; & solitudine sua fruatur: foris videlicet præstolabitur admonitoria illa turba, dum tibi otium erit, non ingressura, nisi cum iusseris. Cæcus verò caret in-  
terpel-



terpellatoribus, caret obsessibus: verum est; sed caret etiam admonitoribus & adiutoribus: praeferat autem servorum quorundam importunitatem ferre, quam omnino servos non habere. Id ego scilicet & saepe perspexeram in aliis, & proximè expertus sum in me ipso: qui cum ante sex ipsos menses tuum De mulierum generatione librum perlegissem, nunquam postea sum recordatus, Io. Baptista Nino, qui eum mihi attulerat, dare ad te referendum: quod si cecus non fuisset, & liber mihi cum ceteris obversatus interdum foret, in eam officii oblivionem venturus non fui: veni autem ex eo maximè, quod ab oculis admoneri non potui. Falsum igitur ac vanum est, me iudice, verbum vulgi, prodesse scilicet memoriae cecitatem: utinam non vehementer obesset, neque hoc etiam inter vitia cecitatis numeraretur, obliuiofitas. Ad linguam, Capponi, non ad memoriam redire solet, quicquid virium ex orbitate deperditur: illa morientium oculorum heres est, non memoria. Quod si lippi, & lusciosi tantò plus garrunt, quanto minus cernunt: ut in proverbium exierit, Luscius loquax; profectò verbosissimos esse oportet cecos, qui nihil cernunt: quo est aequius, humanissime adolescens, huic te nostrae garrulitati & litterarum longitudini veniam dare.

Vale.

LEONI



## LEONI FRANCUCCIO.

## ARETIUM.

**J**ubeo te, Leo: Satis hoc, inquires, pro imperio, quis quis es: & exspecto, quid jubeas Leonem. Jubeo, quod tu nunquam es arbitratus, ac ne suspicatus quidem, ut posthac sis in me laudando modestior, præsertim apud eos, qui me alioqui non noverint, spectaturi ex testimonio tuo meritum meum. Mibi crede non minus incommode interdum sunt amicorum nimis effusa laudationes, quam inimicorum vituperationes: utrasque sustinere ac perpeti magnum est; ut bajulorum terga, si nimiam oneres opprimuntur, tam si aurum & gemmas ingeris, quam si terram aut lutum. Pretiosior ille quidem est casus, sed tamen casus & ruina tanto periculosior, quanto blandior atque fallacior. Obsecro te, mi Leo, ne majora imponas onera quam humeri mei ferendo sint: quorum ego infirmitatem satis expertam habeo: tu dissimulas, aut non planè noveras. Sed hac coram. Redde Maccio litteras, & cujus benevolentiam mihi conciliasti, quam ego nullis officiis colere atque ornare possum, eisdem artibus, quas te humanitas tua & amor erga me docuit, retine, & vale.

Perusia.

PHI-



---

 PHILIPPO MASSINIO, I. C.  
 T I C I N U M.
 

---

**A**T ego pueros Papienses, de quibus in Collegium cooptandis tuo nomine Cibbus egerat, nunquam vidi: & quemadmodum dolui, ablatam esse mihi per bonam occasionem de merendi tui, sic nunc lator, oblatam tibi paulo meliorem ornandi mei. Fr. Henricus Burgus, à quo has litteras accepisti, tanta mecum familiaritate conjunctus est, quanta potest inter duos esse maxima: nec puto te miraturum, aut desideraturum in tali amico deligendo iudicium meum, si tantummodo semel atq; iterum cum eo eris locutus, & juvenis ingenium, eruditionem, modestiam introspexeris. Accedit, quo ejus causa plura cupiam, privata quaedam ratio, quòd potissimum hujus opera spero me usurum in nostris adolescentibus ad Dialecticam, aliasq; majores artes introducendis. Volo autem credas mihi non pessimo estimatori virorum talium, vix esse alterum tota urbe, qui nobis inservire aut commodius possit propter scientiam, aut libentius velit propter benevolentiam. Is igitur, & doctor ejus Valerius Seta, magni discipuli maximus magister; uterq; tui cognoscendi, alloquendi, fruendi cupidissimus, isto versus se conferunt, haud scio equidem in quo agro de Cisalpinis seminaturi verbum Domini. Et quanquam non  
 erat



erat mihi dubium, qua comitate, facilitate, humanitate tales viros tua sponte complexurus esses: tamen interest maxime ad honorem meum, si se paulo libentius exceptos esse intelligant propter commendationem meam. Fac valeas, & virum excellentis doctrine Leonem Mauritiuum jube a me salvere. Perusia. 6. Cal. Feb.

## VINCIOLO DE VINCIOLIS,

Summi Pontificis intimo cubiculario.

ROMAM.

**M**itto ad te, vir clarissime, carmen ludicrum ac joculari, quod per hos geniales dies in Collegio nostro adolescens ingenuus, auditor meus, in magna lectissimorum hominum frequentia bellissime recitavit. Neque ea res me deterruit, quo minus mitterem, quia nonnulli sedulo me monebant, ne viro gravissimo, & maximarum rerum onera sustinenti, tales nugas objicerem, quæ scilicet nullum locum in tantis rerum molibus posse habere videbantur: nam ego contra reputando existimaui, vel uno eo nomine non ingratos neque injucundos fore tibi lusus meos, quod seria & gravia nimis multa apud te essent; hujusmodi autem levia, inania, nugatoria penitus desiderarentur. Quamobrem in hoc munusculo ad te deferendo, imitatus sum, si minus homines litteratos, quorum ego in numerum

S venire



venire non possum, certè peritos & callidos mercatores, qui suas merces eò scilicet deportandas ac distrabendas curant, ubi rerum ejusmodi penuriam esse intelligant. Vale, mi patrone amabilissime: cui quidem & gratulamur ea contingere, que virtutibus tuis debentur; & freti divina gratia, speramus etiam ampliora. Vivat verò, vivat non nostro tantum, aut paucorum, sed totius orbis communi bono, tantus Pontifex, quantum certè, (ut omnibus bonis persuasum est) non habuimus ante permultos annos. Pro cuius incolumitate, longevitate, salute, Deum optimum clementissimum obsecrare, & ad eum quotidie vota facere non desinimus. Vale iterum. Ex Collegio S. Bernardi. Perusia.

---

D. LIVIO LIELMETIO.  
CIVITELLAM.

**A**Mo te, Lielmeti, quantum homo hominem potest, de versiculis per Vincentium Herculanum missis ad me de me: quos licet elegantissimos ac venustissimos, longè tamen elegantiores atque venustiores humilitas mea facit. Sic Phidie aut Praxitelis ars illustrior atque expressior est in robore vitioso, scabro, aspero, quam vel in Indico ebore, vel in marmore Pario aut Corinthio: hic enim juvat artem materia, & artificis indiligentiam lapidis nitor obruit aut cecat: illic verò si quid faber peccaverit, latere non

non



non potest; vitium ultrò se prodit; materia nihil de suo affert ad oeculendum; potius detegit & depravat quæ rectè feceris. Itaq; in eo genere quicquid excellens atque eximium sit, peritò artifici tribuendum est; si quid autem non omninò bellè respondeat aut quadret, materia sæpius est accusanda, quæ se fictori morigeram non præbuerit. Quamobrem in meis laudibus persequendis, Livi humanissime, quantum pessimum tibi argumentum fuit propositum, tantò optimum te Poëtam esse ostendisti; & quemadmodum tu meliorem nactus materiam, egregium ac propè divinum aliquid efficere potuisti; sic ego dupliciter interpolatus ac deformatus fui futurus, si malo meo fato in manus fabri non excellentis incidissem. Ago igitur & tibi qui me si minus verè, certè amàter laudas, & fortuna, quæ te mihi laudatorem atq; amicum obtulit, gratias eo majores atque ampliores, quo sum ego minus idoneus, & minus aptus ad referendum. Vale.  
Perusia.

## E I D E M.

**R** Eddidit mihi paucis ante diebus Albertus Masciolinus Carmen tuum, & quod ad me, & quod de me: bellum ac nobile utrumque, nec ideo aut alterum minus bellum, quia deformitatem laudat, aut alterum minus nobile, quia me. Scio ego solemne vestrũ, qui serio Musas colitis.



juvat tollere humilia, & laudare non laudanda, quo vos scilicet majorem ingenii laudem consequamini. Nec ideo te minus amo, aut minus tibi debeo, Licet mihi, cujus & consolationem libenter admitto, quæ pietatis est, & prædicationem non invitus excuso, quæ amoris. Idem te rogo, ut occupationi, non negligentia tribuas, vel quod brevius ad te scribo, vel quod omnino non scribo. Pueros habeo instituere Latinis Græcisq; litteris circiter quinquaginta, ingenio, ætate, patria, moribus, tam inter se, quam a me dissidentes: & tamen præ aliis occupationibus, ludum, jocumq; possis appellare domesticum hunc laborem: alia sunt, eaq; graviora, quæ me quotidie angunt, & me Musis dare operam non permittunt. Te felicem: cui, Societate prudenter administrata, post amplissimam dignitatem, securo pariter, honestoq; otio frui licet. Vale. Perusia.

---

SCIPIONI BARNABÆO.

FULGINIAM.

**E**T si dedissem Camillo nostro negotium rescribendi ad tuas; tamen nactus hodie paulum otii, dum se tui sodales comparant ad latinam fabulam; cuius agundæ non longior futura est mora, quam dum Episcopus cum Magno Urbis Priore a foro veniat, & mox currum conscendere nunciabantur: non habui scilicet, qui

cum



cum mallet hanc dieculam consumere, quàm tecum. Quid scribam verò? si jam accepisti ad singula, qua petebas, nec aliquid ex eo die accidit novi? non enim requirere a me debes, ut de scurrarum nugis, de histrionum deliciis, de personatorum ineptiis certiores te faciam: qua nec digna sunt litteris nostris, & si sint, puto, eandem copiam in patria tibi suppetere: non enim credere debui, saniores solere esse Perusinis Fulginates. Pratermitte, inquires ista publica, & mitte aliquid de domesticis. Non possum, ne istuc quidem; cum decem ipsos dies abfuerim: absentia autem mea causam cognosces ex Frenfanello, qui quidem ad vos rediturus, & me antea, nunquid vellem, rogaturus; necesse habuit in Seminario me convenire. Per quam ego vicinitatis occasionem congressus saepe sum cum Episcopo, saepius cum Prolegato: dixi utriq; de missis abs te mihi Fulginia latinis litteris; & quod eram de te antea saepe pollicitus, id chirographi tui testimonio cōprobavi, & liberavi pulcherrimè fidē meam. Salutat uterq; virum longè optimum ac sapientissimum patrem tuum: Episcopus verò hoc amplius, debere se vobis certam pecunia summam, pro ea, quam Bononia P. Paulo Comitolo pater tuus adnumerandam curavit. Alud ferè quod scribam, in mentem non venit; & jam aures verberat nostrorum fremitus prodeuntium, ad magnos Principes excipiendos. Comes Bevilaqua



te refalutat: *Marsianus jam dudum aberat. Tecum fratribus hoc triduo, aut quatruiduo expectamus. Vale.*

---

PHILIPPO ALBERTO.

**P**erusia novam inscriptionem, quam paucissimis & quam planissimis potui verbis, contexui: quandoquidem, ut scribis, nec tabula angustia capiebat longiorem numerum litterarum; & ad ejus antiquitatem, dignitatem, amplitudinem designandam, hæc pauca fore putavi satis. *Augustam dixi ab Augusto cognominatam, secutus vulgare opinionem: doctiores enim nostrates, & rei antiquariae peritiores, ut te non fugit, aliter sentiunt: & cognomen Augusta deductum putant ex auguraria disciplina, quam inter ceteras Italiae nationes Etrusci maxime coluerunt, & Perusini inter Hetruscos. Certè Romani veteres, ut Livius & alii testantur, suos pueros studiorum atq; sacrorum causa in Hetruriam mittere consueverant: & credibile est, Perusia potius in metropoli ac regia civitate, quam aut Cortonæ, aut Aretii sanctioris doctrina studia vixisse. Quæ quidem mirum non est, si tot postea seculis oppressa, & propemodum extincta barbarorum incursum, demum ante annos amplius quadringentos repulularunt, & ut eum maxime floruerunt, florentq; hodie in omni doctrina genere, Musis priorem suam sedem ac domi-*



*domicilium repetentibus. Ad conjecturam certatio videtur accedere, quod ex Dione colligitur, Perusiam ante subversam atq; instauratam fuisse, quam Cesari Octaviano Augustum illud cognomen esset inditum: ut similis vero esse videatur, illum à nobis, quam nos ab illo fuisse denominatos. Vale. Ex Collegio S. Bernardi.*

PERUSIA AUGUSTA.

Urbs antiquissima inter duodecim Etruriæ primarias prima, olim à Tyrrhenis condita, mox à Tarchonte Tuscorum Rege aucta, litterarum atq; armorum gloria insignis: quam Augustus, post longam obstinatamq; obsidionem, dolo captam, atq; excisam refecit, cognomine honestavit, & deducta colonia frequentem reddidit.

LIVIO VITALI OROSIO.

CAMERINUM.

**Q**uantam gloriam immortales tue lucubrationes mihi pepererunt, Vitalis, aeterna vita dignissime; tantam animo sollicitudinem & curam affert difficultas, non solum gratia referenda, quod pro talibus beneficiis nemo potest; sed etiã grati animi testificandi, quod nemo non debet. Propterea quod cum gratus animus ab homine pauperculo, non ferè alia ratione ostendiqueat, quam per accepti beneficii prædicatione;



mea facit infantia & jejunitas dicendi, ut haec  
 etiam me deficiat, quam paupertas non adimit,  
 vocalis (ut sic dixerim) remuneratio merito-  
 rum. Quid enim? An ego audeam celestibus  
 Urania tua cantibus interstrepere? non olor aut  
 luscinia, qualem me tibi Mantua tuus potius,  
 quam Hieropylus meus pinxit, sed anser & ga-  
 via? Dicam amplius: Ego, vir humanissime,  
 cum me habeo comparare, ut saepe habeo, respon-  
 surus ad laudes amicorum, me consolantium,  
 vel adulantium; non me anserem, non gaviam,  
 non aliquam certam avem soleo appellare, sed  
 vespertilionem: nam quemadmodum hic neq;  
 in muribus est, quia alatus, neq; in volucribus,  
 quia quadrupes; nec vel nocte intempesta cum  
 bubonibus, vel die illustri cum reliquis avibus,  
 sed vespere in crepusculo solus volitat, stridetq;  
 ita ego nec planè habendus sum inter vivos, quia  
 cum luce, manuum etiam & pedum officia per-  
 didi; nec dum planè ad mortuos relegandus,  
 quia strepo & garrus, in quodam vita mortisq;  
 confinio. Quamobrem vehementer deceptas es-  
 se oportet, Livi eruditissime, Musas tuas, quae me  
 laudant, quasi eximium hominem, qui vix re-  
 tineo hominem. Dicunt vulgò semivirum esse,  
 qui oculo uno careat: quid illum, qui utroq;  
 manibus? qui pedibus? qui corpore penè toto?  
 Neq; ille hoc non videbant: sed praclare artifi-  
 ces majorem scientiae gloriam ex materia igno-  
 bilitate



bilitate petiverunt. Magis dixerim allucinari, atque desipere tuam Echo, si me queritat post Narcissum: nisi si amat me sonus sonum: Et ideo vult deformissimum, quia non potuit tenere pulcherrimum. Vale vir optime: tibiq; penitus persuadeas, me tibi esse, ac semper fore, merito tuo maximo, devinctissimum. Perusia.

ROBERTO TITIO.  
BONONIAM.

Multa sunt cause, cur expetam amorem tuum, Titi amabilissime, quarum singula satis excusant audaciam in te appellando meam. Est in te non solum eximia, sed etiam varia eruditio, in qua edite a te Locorum Controversie, locum tibi minime controversum, Et maxime honestum fecerunt, inter eximios nostri seculi litteratos: est sive juncta, sive soluta orationis tanta felicitas tantaq; copia, quantam si in alterutra esses adeptus, nihil tibi propemodum ad supremam laudem deesse arbitraremur: probant hoc vel olim emissa carmina, vel nuper data orationes, quas mihi per hos dies lectissimi adolescentes Gherardus Et Sernardus populares tui, auditores mei lectitarunt: est preterea cum exquisita linguarum cognitione conjunctus lepos atque facetia perurbana, quas facile animadverti ex unis Mureti litteris ad virum longè doctissimum Petrum Gherardium, discipuli



mei patrum, & tibi amicum inprimis. Atque has ego quidem non solum amandi, sed etiam colendi tui causas communes habeo cum multis; unam propriam & meam, quod Marcus Barnabaus, summa vir auctoritate ac sapientia, qui Bononiam pro pretore triennium administravit, cum alia multa de tua in me propensione differuit, tum etiam detulit ad me de carminibus meis iudicium tuum: boni superi, quam elegans, quam eruditum, quam in me honorificum! Quo ego vel gladio stipatus, vel clypeo protectus, multorum in nos ruentium impetum fregi, & contorta in nos tela vel excepi sine periculo, vel retorsi cum gloria. Quae quidem ideo tibi nota esse volui, Roberte humanissime, ut hac mea vel significatio grati animi, vel professio aris alieni locum mihi prospicerent non ignobilem inter tuos aut amatores, aut debitores. Vale.

---

HORATIO LOMBARDELLIO.

S E N A S.

**A**udi questionem, licet fortasse non satis dignam estimatione ac iudicio tuo. In poemate disponendo, cuius puto me hoc anno datum Libros duos priores ad tentanda scilicet iudicia hominum eruditorum; dubitavi ecquam multis versibus explerem libros singulos. Dubitationem movit nunc primum animadversa varietas & veterum & recentium nobiliorum:



ex quibus alii ad septingentos, & eò plures versus extendunt volumina, ut Maro, Statius, Italicus inter antiquos; e nostris autem Vida, Stella, Bencius, Fracastorius, & civis meus Ricciardus Bartolinus in *Austriade*: alii contra vix attingunt quingentos, nonnulli consistunt etiam citra quadringentos, hoc est, libros dimidio breviores, quam illi faciunt, ut ex Græcis Homerus, ex veteribus Latinis Claudianus, ex neotericis Sannazarius. Horum exempla potius, quam illorum, sequi videntur Etrusci vates, Bojardus, Areostus, Tassius. Cum enim libri singuli, quos Cantus vocant, octastychis plus minus centenis absolvantur, octastychum verò syllabis expensis & numeratis, quinos impleat hexametros; subducta ratione, summa conficitur versusum quingentorum. Hoc etiam liquidius patet ex *Aeneide*, & *Thebaide*, in Etruscum conversis, quarum hexametri circiter octingeni, ducena ferè octastycha pepererunt. Ego autem, nisi tibi secus videbitur, mediam quandam rationem tenere in animo habeo, ut excurram supra quingentos, non egrediar sexcentos. Quamquam enim propendeo libentius in hanc partem, cui brevitatis, quam in illam, cui prolixitas placet: tamen ita temperandum esse arbitror, ut neque legentis voluptas nimium citò effluat, si nullo, aut propè nullo labore contingat, neque rursus defatigatione nimia obruatur, & oppri-



opprimatur: est enim natura comparatum, ut parum jucunda sint, quae non aliquo emuntur incommodo; & ea displiceant, quae sic delectant, ut delassent. Vale.

---

LUDOVICO HONDEDÆO, I.C.

**S**Cis, qualem mihi operam, te hortante, jurisconsultissimus pater tuus dederit, quam bonam, quam celerem, quam expeditam in anticipati molestoque negotio conficiendo. Lis erat fortasse in aliquam ignominiam, certe in magnam cladem eruptura inter cognatos meos, nisi auctoritate, prudentia, studio tanti viri, oppressa quievisset. De qua cum cras aut perendie gratulatum ad penates meos redire necesse habeam, accersitus a patre, non video, quomodo possim huic officio satisfacere, via longa, lubrica, impedita, nisi mihi ad unum biduum aut triduum commodaveris illum ipsum, quem soles, equum, crura lente ac molliter explicantem. Commodabis autem hoc libentius, quod equissimum est, non solum equum, cui dederis gratulandi necessitatem, ei si praebeas & eundi commoditatem. Excellentissimo Magnae Urbis Priori felices & faustos precor, qui jam aderunt, sacrosanctae tuis tibi deo avasias eos festi dies: item Patri, ac tibi. Vale. ex Collegio S. Bernardi. Calend.

Aprilis.

LATI-



LATINO MENCOCIO,  
EJUSQUE AUDITORIBUS.  
PERUSIAM.

**M**Olestè ferebam antea, quòd discessurus ab urbe in dies aliquot, te tuosq̄, reliqueram insalutatos. Et quanquam non id oblivionis aut rusticitatis meae, sed invidentis fortune peccatum fuerat: quippe quæ illo temporis momento, cum migrare me oportuit, vos alium alio summo-  
moverat, atque distraxerat deambulatum: tamen ipse me non amabam, & quam pœnam meritus non essem, ultrò à me repetebam. Nunc verò placet mihi erratum, sive meum, sive non meum, quod vos impulit, ad me talibus litteris appellandum; & fortune ago gratias, cujus beneficio profuit mihi, quod obesse debuerat, officii prætermissio: siquidem una (ut sic dicam) insalutatio peperit mihi quatèrnas, easq̄, uberes salutationes. Pro quibus parem tibi, parem illis amorem atq̄, affectum reddo; pares etiam, si commodius valerem, litteras redditurus. Sed omninò non valeo: non dum sese in venas & viscera hujus cœli salubritas atq̄, amœnitas insinuavit: nimis obstat favoniis, vitalem auram inspirantibus, pertinax & indurata desidia: urbanos istos compedes, & curarum nodos lentè solvit rusticana libertas. Cum vires recuperaro, tum plures, tum longiores, tum etiam (si fas est dicere) robustiores

bustiores



*bustiores à me litteras expectate. Fac valeas, & meo nomine Praefectos omnes salvere iubeas; Retorem in primis. Ex Antria 4. Non. Aprilis.*

---

JO. BAPTISTÆ DE NINIS.

**N**ihil viro bono minus convenit, quàm in fratris luctu calculos ponere. *Hunc Seneca locum ex Consolatione ad Polibium, quaesisti ex me, quemadmodum exponendum putarem, Nine. Biennium est, cum litterator amicus meus id ipsum à me poposcit: & quia maneo in sententia, licet audiam graves viros à me dissentire: non gravabor ea iterare, quae tum scripsi ad illum eisdem planè verbis. Explicationes proposui duas, unam extempore, tantum verisimilem; alteram meditatè, opinor veram. De utraque accipe paucis. Quia igitur, cum rogatus ab illo fui, non erat liber ad manum; & properabamus uterque, ille ad Praesulem, ego ad Ludum: nihil antea meditatus, respondi dubitanter, quod subito in animum incidit, Eam mihi proverbialem loquendi formam videri, qua hoc nimirum significaretur, Virum bonum adeò constantem in luctu esse oportere, ut si fratris mors inter ludendum nunciaretur, non deponeret calculos, ac pergeret ludere; tantum abest, ut se in lacrymas aut questus effunderet. Porro memineram, calculos pro latrunculis seu scacchis*

*chis*



his à veteribus usurpari; & occurrit memoria Martialis:

Hic mihi bisseño numeratur tessera puncto,  
 Calculus hic gemino discolor hoste perit.  
 Addidi Livianum illud non dissimile, de Pul-  
 villone, an de alio? (librum consulere neq; tum  
 licuit, neq; nunc licet satis) cui templum Cœle-  
 stibus dedicanti, cum mors filii esset objecta, ut  
 ab incepto revocaretur; nihil ille obnunciatio-  
 ne deterritus, aut commotus, Efferatur, inquit,  
 si mortuus est: ego hoc agam. De sententia igi-  
 tur constare videbatur; de genere loquendi du-  
 bitabam minus: nam, ponere calculos, pro fi-  
 nem facere ludendi calculis, sic accipiebam, ut  
 ponere ludum, ponere gladium, pro deponere.  
 & ludum aut pugnam desinere. Sed quid ego  
 tam diu frivola & inania? Domum ut redii,  
 explicata schola, librum inspeximus, ego & Pa-  
 tricius; ac tum ex iis, quæ antecederent, tum  
 ex iis quæ post-venirent, cognovimus, longè a-  
 liam eorum verborum esse sententiam. Hoc enim  
 voluisse sibi philosophus videbatur: Non dece-  
 re virum sapientem in lugenda fratris morte ra-  
 tionem sui ducere, & magnitudinem doloris me-  
 tiri utilitate, quam perderet, aut jactura, quam  
 faceret. Mancipia & jumenta cum amittimus,  
 isto modo dolemus, ut eorum afficiamur deside-  
 rio tantum ob eam causam, quia erant nobis uti-  
 lia, & fructuosa. Frater ideo dolendus est, quia  
 frater;



frater: etiamsi nullus ex eo fructus ad nos rediret: alioqui non illius vicem dolere videbimur, sed nostram. Ergo in fratris luctu calculos ponere, non est aliud quam quod Tullius dicit, revocare aut reducere ad calculum, ut par sit ratio acceptorum & datorum. Negat enim Seneca convenire fraterna pietati, subducere diligenter hanc rationem, & pro mensura lucri, quod antea ex illo caperes, hunc mœrorem luctumq; definire: quasi religio esset, majorem mortuo fletum reddere, quam ille vivens utilitatem & fructum dabat. Suum loquendi genus idem explicat atq; confirmat Seneca, Epist. 81. Vir bonus utrosq; calculos sic ponit, ut se ipse circumscribat: beneficio adjicit, injuria demit. Vale, & perge (quod facis) cum pietate litteras, cum Musis superioribus conjungere imitiores. Ex Collegio S. Bernardi.

---

## TIBERIO FLORENTIO.

R O M A M.

**T**, Littera, quæris ex me, qualem sonum habeat in genitivis pluralibus, Litium & Vitium: quorum ille significat lites, hic vites. Respondeo, mihi non alium in his videri, quam in ceteris ejusdem generis & forma, ut Montium, mentium, artium. Nec me quicquam movet, quod sciam plerosque Grammaticorum aliter præcipere, nescio cujus discriminis causa: nam si  
ob id



ob id mutari oporteat pronunciationem, nullus erit mutandi finis: etiam vigilantium & abundantium, genitivi sunt participiorum à vigilo & abundo: & sunt accusativi à nominibus propriis, vigilantius & abundantius. Hac homo intelligens facile discriminabit ex coherentibus verbis, rudis autem nullo modo. Ac quia scribis, cupere te meam plenius audire sententiam: breviter adscribam, quod ego meos docere soleo. T, ante i, sequente alia vocali, sonat perinde ac Z, ut Sapiencia, Divitia, Otium, Negotium. Excipio vocum genera quatuor, in quibus T, retinet suum sonum: primo in principio dictionum, ut Tion, tiara, Tyanens: secundo in quibus precedit s, ut Justius, castius, mæstius: tertio cum interponitur adspiratio, ut Matthias, Tezhyos, Melanthius: quarto in poëticis infinitivis, desinentibus in er, ut Mittier, dimittier, enitier. Manet tamen ratio græca in paucis, ut Antiochus, Antiochia. Hic nimirum est usus sive abusus recentium meliorum: nam veteres pronunciarunt ante omnes vocales eodem modo, ut Græci: sed corrigere tamen aut mutare, in nostra potestate non est: Varro ipse, ac Cicero, si reviviscant, credo non impetrarent, ut quisquam diceret, Benevolentiam, continentiam, pathientiam. Tu quoque, opinor, malles esse Florentius, quam Florenthius. Profecto namque morbus his pronunciationis de illorum numero est, quos patis

T ipsos

T

ipsos



ipſos facilius poſſumus, quàm remedia. Vale,  
optime & officioſiſſime amicorum. Ex Collegio  
S. Bernardi. Reddes P. Valentino Mangionio,  
quam his litteris adjunxi ſchedulam, & urgebis  
ad reſcribendum. Fratres ſuaviſſimos jube à me  
ſalvere, & vale iterum.

---

MAFFEO BARBERINO,  
AP. CAM. CLERICO.

**T**Estis eſt Guidus Senſius, homo animi & ge-  
neris nobilitate inſignis, tibiq; probatus in  
paucis, quam flagranter cupiam, aliquo argu-  
mento teſtata facere obſervantiam meam, er-  
ga ſingulares virtutes tuas: in quibus cum alii  
alias mirentur, inprimisq; maximam eruditio-  
nem, cum aequè magno rerum uſu conjunctam,  
& vite integritatem gravitatemq;, multa hu-  
manitate reſperſam ac temperatam: ego nihilo  
minus, ut ceteras multum eſtimo, ſic ad unam  
impetu quodam & affectu animi rapior, hoc  
pulchriorem, quia raro viſam, ruro cultam ab  
aliquot ſaeculis, beneficentiam erga homines lit-  
teratos. Fidem faciunt multi, quos fama loqui-  
tur quorum ego longum catalogum poſſem texe-  
re; ſed inſtar omnium eſt mihi Poëta egregius  
Bracciolinus: cujus Muſe à te potiffimum exci-  
tata, ornata, & culta donabunt eterno munere  
Orbem terrarum. Atq; hæc fuit cauſa, Princeps  
Clariffime, cur obla tam hodie bonam occasio-  
nem

uero



*mem tui appellandi, & declaranda propensionis  
 mee, omittendam non putaverim. Mitto igitur  
 ad te, quem desideras, illustrem amœnumq;  
 scriptorem, & descriptorem lacus Thrasymeni:  
 eiq; duplex mandatum dedi, alterum, ut tibi  
 planè diserteq; exponeret, quæ requireres; al-  
 terum ut, data schedula, me tibi de nota optima  
 commendaret. Quanquam enim non tacui cu-  
 piditatem favoris tui meam, viris elegantibus,  
 Camillo Burdigonio, & Hieronymo Pantano,  
 qui heri vesperi me adierunt, & de libro inter-  
 rogarunt; quos scio mentem meam relatu-  
 rum fide: tamen putavi, longè plus ponderis fo-  
 re in illorum oratione, si mea scriptio confirma-  
 ret, & Campanus ipse ad stipulator accederet.  
 Ne vivam, si erat alius accommodatior, vel ad  
 excitandam memoriam tuam, vel ad depingen-  
 dam fortunam meam. Prorsus enim mirabile  
 est, quam multa illi & mihi fuere paria, nomen  
 Antonius, origo tenuis & perobscura; professio  
 ars dicendi; schola idem gymnasium, & Aca-  
 demia Perusina; corporis habitus utriq; infor-  
 mis, distortus, lacer: quo tamen ultimo sic ego il-  
 lum vinco, ut ille me ingenio, gratia, fortuna:  
 quibus ipsis non multum mei concessero. si me di-  
 ligat, atque in suis numeret Barberinus.*

*Vale. Ex Collegio S. Bern-  
 ardi.*

T 1

FEDR



---

 FEDERICO CAVACEPIO.
 

---

**N**ihil vidi unquam accidere oportunius, Cavacepi, quam hodie mihi accidit, excusare volenti longitudinem hujus ad Scottum epistola, quam toties flagitando, surdas jam aures effecisti mihi. Videbam enim facile fore, ut offensus nimia garrulitate damnares votum tuum, & me non amares, tam longos texentem orsus dere pusilla. Quid queris? hærebam penitus, & qua via expedirem me, non inveniebam, cum mihi Plinius presto fuit: & quod mirere, cacum Cecilus viam docuit. Ego talem secutus ducem, exiguo tantum itineris flexu per illius vestigia gradiendo, sic evasi, ut scribam planè. Vererer, inquam, ne immodicam epistolam putares, que cum hac schedula tibi reddetur, nisi esset generis ejus, ut saepe incipere, saepe desinere videatur: nam singulis capitibus, singula velut epistola continentur. Poteris ergo, undecumq; inceperis, ubicumq; desieris, que deinceps sequentur, & quasi incipientia legere, & quasi coherentia: meq; in universitate longum, brevem in partibus judicare. Fac valeas.

---

 LUDOVICO SCOTTO.
 

---

**A**In verò Scotte? Librum ad me de Pulchro? miror te, juvenem in omni judicio elegantè

tero



tem atq; acrem, non vidisse, quam minimè congruenter esses factururus, si tale ad me munus mitteres. Quid enim mihi cum pulchritudine? in quem scilicet bellè cadunt, quas æquè bello amator jocosus poëta laudes ingerit, dum ait fuisse,

Claudum, orbum, mancum, distortum, cætera pulchrum.

Sed hic video, responsurus mihi quid sis, fecisse te mercatorum more, qui suas merces eò distrabunt, atq; exportant, ubi ejus generis inopia est, non ubi copia: Et quemadmodum non oportet divitias diviti, cibum saturo, vinum ebrio addere, sed egenti, jejuno, sobrio; ita fortasse dicturus es hanc de Pulchro pulcherrimam disputationem non ad pulchros, qui habeant, sed ad deformes, qui non habeant, mittendam fuisse.

Quod sanè verum est in eo rerum genere, quas qui accipit, ad suum questum, aut commodum, aut voluptatè transferre potest, cujusmodi opes sunt indigenti, Et cetera vite subsidia laboranti: in iis verò, quibus ille ipse, cui donaveris, frui non potest, alia quedam ratio est: nã ea tantùm abest ut desiderium expleant, aut levent, ut etiam magis excitent, magis acuant, Et quantò est potiundi facultas minor, tantò sit carendi sensus acerbior: intenditur enim ab re visa cupiditas, remissius petitura, si non vidisset. Ergo munera tua, Scotte, nihilo me magis juvare poterant,

Quàm cæcum pictæ tabulæ fomenta podagram,  
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes,



ut ait Horatius. Itaq<sup>3</sup>, verum ut fatear, non nihil initio veritus sum, ne me forte deluderet: & quemadmodum videram aliquando ludentes pueros, & anni cariose, rugosa, edentula speculum porrigere, ac iubere suam in illo speciem contemplari; ita te censui librum de Pulchro, quasi dicas pulchritudinem pulchritudinis mihi ostendere voluisse, ut agnoscerem in illa clarius & expressius fœditatem meam. Cave autem suspicere, quod amor vetat, & est ab utriusq<sup>3</sup> natura longè alienum, eam durius accepturum fuisse, quam homines belli soleant: nam & iocum probavi, & te collaudavi, intentus tamen in occasionem reponendi. Quare autem non reposuerim, & rem omiserim, paucis accipe:

Cogitavi, cõtra quam ante fueram opinatus, nihil leporis aut joci fuisse in tuo munere, & tu aptè decenterq<sup>3</sup> fecisse, non urbanè aut ridiculè, qui librum de Pulchritudine mihi donaveris, mihi inquam, neq<sup>3</sup> tam fœdo, neq<sup>3</sup> tam inconcinno, quam cecis aut parum curiosis videor. Ergo, inquis, pulcher esse tibi videris in corpore tam cicatricoso? Videor inquã, & sum planè, si ratio, num momenta expendere mavis, quam levitatem & sensum vulgi. Video, inquis, quo confugere in animo habeas, à pulchritudine corporea transitum paras ad incorpoream. Sed,

Nunquam hodie effugies; veniam quocunque vocaris:



nam si te corpore pulchrum dicere audes, turpe mendacium est: si animo pulchrum, turpior impudentia. Sed ego istuc non dico, Scotte, nec discedo a corpore: corpus, inquam, tantis affectuum cladibus, audacter dico etiamnum tale mihi superesse, quod turpe dici non possit, pulchrum possit. Enimverò, miserum me! cui saltem non licet usurpare Mopsaicum illud apud Virgilium,

Nec sum adeò informis; nuper me in littore vidi  
Sed jam tandem ad rem. Quid est pulchritudo? M. Tullius, quo tu testem locupletiozem non desideras, Tusculana tertia, Pulchritudo, inquit, est apta quedam figura membrorum, cum coloris quadam suavitate.

Cum igitur hæc duo faciant pulchritudinem, consensio membrorum, & coloris quadam suavitas: necessario consequitur, ut quæ sunt his contraria, membrorum inequalitas, & coloris quadam insuavitas, faciant deformitatē. Exemplo esse possunt duo omnium fœdissimi, Thersites, & Æsopus: quorum ille libro secundo Iliados, ab Homero dictus est, φολκὸς, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, id est, Oculis in diversum aspicientibus, & altero pede claudus: hic verò a veteribus Grammaticis fuisse traditur, capite admodum magno, sed collo ita brevi, ut contiguum caput humeris videretur. Erat & inter humeros magna dissensio, quorum alter depressus atque humilis vergebat ad terram, alter erectus, atque audax



extantem spheram ostentabat. Nec minor erat in vultu discordia: frons angusta, os latum, nares presse, labra tumentia, inferius multo tumens; pusilli oculi, alter eminens, alter introxus conditus; aures pregrandes & inaequales. Fuit praeterea maxime ventriosus, crure longo & exili, talo turgido, pede grandi, crasso, amplo; neutroque in rectum, sed altero in obliquum reflexo, & calcaneo urgente comitem. Ac ne quid homini deesset, quò minus totam deformitatem impleret, inter Phrygios populares suos, natura candidos, ipse niger fuit: unde illi existimant nomen inditum: est enim Αἰθίοψ, quasi Aethiops.

Habes definitionem & exempla foeditatis. Nunc me specta, & contemplare ab infimo ungue ad capillum supremum, quod ajunt; negabis esse quicquam, quod disconveniat, quod non congruat: inter primaria membra consensus maximum, litem nullam offendes: denique partes singulas ita dices inter se coherere, ut conspirasse videantur, ad corpusculum hoc compingendum & conformandum. Vides quemadmodum pes pedi, manus manui, oculus oculo respondeant; nihil dissonet, nihil turbet, omnia unum quasi concentum atque tenorem servant: illa scilicet vitiosa & foeda corporis constitutio est, in qua partes dissident, & quae paria esse oportuit, non sunt paria, quale agnoscas vitium in monophthalmo,



in manu capto, in pede-trunco. In me autem quid simile? cui nec ea est membrorum inequalitas, qua istam pariat deformitatem, nec ea conditio, ut alterum alteri invidere possit. Pedes labant, ut vides, in equilibrio; nec fortius dexter excipit, quam levus credidit; par utriusque periculum imminet à via dispari, prærupta, scrupulosa; par corpori ab utroque: neque de manibus altera est, quam altera, fortunatior, amba ad eundem modum affecta sunt, & pedibus proportionè respondent: oculi quoque pariter cessant, rubent, dolent. Ac pedes quidem, ut viliora mancipia, frequentius fatigantur: manus quasi servæ atrienses, aliorum utuntur ministerio, tantum precipiunt aut minantur. Denique oculi quasi Satrapes aut Reges, introrsus abditi, longè à vulgo, arcana cæcis duntaxat cognita, sed litteratis, in magno otio speculantur.

Habes de proportionè: sequitur color. De quo tamen si non judicat cæcus ex vulgato scholarum placito; me tamen censeas licet ex alio magis occulto cæcorum genere, qui judicant, & verè judicant. Querar velim ex Tetio, Sensio, Hondedæo, sed ex Tetio maxime, qui-cum frequentius cenare soleo, quam nunquam me color fallat in vino, in ficibus, in placentis, & toto illo cupediorum genere, quod candet saccharo, nigret cinnamo, splendet croco: gustatus videlicet, cum jubetur, ad interiores oculos edulii cujusque, aut



liquoris colorē defert: atq; hoc prestat cæcus, à fortuna exoculatus, ei qui sic est genitus à natura, quod is qui meminit, res à se visas, potest ex adjuncto aliquo etiam de colore conijcere: ille verò qui lucem non vidit unquam, ne somniare quidem colores potest. Sapor igitur mihi colorat cenas. Nec id magnopere mirum fuerit intuentibus, quod Hippocrati apud Democritum contigisse, auctor est Athenodorus. Cum enim Democritus ex longa peregrinatione in patriam rediisset, plenus annorum, plenus litterarum; seipsum, ut Cicero & quidam alii tradiderunt, exoculasset, ut arcana nature altius introspiceret; multi ad eum viri litteratissimi, quasi ad magnum mundi miraculum, ex omnibus orbis partibus confluebant: in his fuit Hippocrates, quo presente, cum ab advenis pastoribus lac esset allatum, Democritus, prius quam accumberent, lacte preguustato, Hoc, inquit, à nigra capella est, primo partu. Quo dicto satis ostendit, cæcos non solum judicare de coloribus, ut oculatos, sed etiam divinare, quod negatum est oculatis.

Illud verò magis mirabile censendum est, quod, ceteris deficientibus, vox ipsa colorē cæci pingit, & per auriculas animo spectandū infert. Certè quicumq; ad me veniunt, licet non antè cogniti mihi de facie; tamen quas primas vocis proferunt, ille mihi frontem, oculos, supercilia, totum

totum



totum deniq<sup>3</sup> oris habitum; præterea ætatem, vigorem, indolem; ad hæc si stantem, loquentem audio, molem ipsam & corporis truncum representant: in barbis tamen, ne mentiar, mentiuntur, sed non sæpe. Nudius tertius nobilem cucullatum, qui accesserat ad nostras ades inspiciendas, cum planè totum, multis audientibus, descripsissem, neq<sup>3</sup> peccassem, uti aiebant, ferè quicquam, minutis etiam consecutandis, à barba deceptus sum: cum enim eò ventum foret, hæsissemq<sup>3</sup> cogitabundus atq<sup>3</sup> incertus, quales illi colores affingerē, urgentibus qui aderant, Barba, inquam, nigricat. Tum risus est maximus consecutus: illa enim rubebat maxime, & ego erubui nihilominus. Post hæc igitur ero in barbis cautior, quæ mihi una fucum faciunt aliquando. Ceterum naturalis ille ac vividus color, quem virilis pulchritudo desiderat, me nunquam fallit, voce internuncia. Quod pariter Democrito accidisse testatur Laërtius: cum enim cæcus ab ancilla salutatus foret, ita respondit, Salve virgo. Postridie autem, cum ab eadem salutaretur, ita resalutavit, Salve mulier. Agnovit vir sagacissimus non per oculos, quibus carebat; sed ex voce, quam audiebat, feminam nocte illa fuisse vitiatam, & ex virgine factam mulierem. Quare cæcorum aures litterate; non solum corporis, sed etiam animi colores vident. Nunc ad rem. Cum igitur proportio mihi non desit, color adsit; alterum

rurs



rum necessario consequitur, pulchritudinē quoque inesse, aut abesse deformitatem.

Unus omnino scrupulus restat, qui mihi evellendus est. Aristoteles, ut quorundam opinio est (nam ego quasitum diu per anagnostas & diligentes & eruditos, invenire tamen non potui: Ninus fortasse noster poterit, Aristotelis haud dubiè familiarior, quam nos sumus, aut esse possumus) Philosophus, inquam, hic turbat: de cuius sententia quidam recentiores contendunt, non satis esse ad veram pulchritudinē, ut membra mutuo sibi respondeant cum quadam, ut Cicero ait, coloris suavitate: sed requiri praeterea magnitudinem. Negant enim fas esse haberi pro pulchris, quae magna non sint: omnes populos nationesq; tantum tribuere magnitudini, ut non nisi magnos homines imperio aptos putent: cuius rei exempla plurima extare dicunt in veterum monumentis. Certè Lacedaemonii, ut Plutarchus auctor est, Archidamum Regem suum pecunia multarunt, quòd pusillam duxisset uxorem, addita causa, quòd datura esset non Reges, sed Regulos. Hinc illud de Turno apud Maronem lib. 9. Aeneidos, qui cum equitibus interfaciens, - Toto vertice supra est. Quam quidem difficultatem usq; eò cunctabor diluere, dum planè mihi constet, Aristotelis ea fuerit opinione. Nam si falso illi tribuitur, à quocunque ea demum in vulgus manaverit, non vereror ob-

niti,



niti, & periculum facere, num fortè possem ostendere, ad rationem pulchritudinis pertinere maxime, ut singula partes quodam inter se lepore consentiant, coeantq; ad unum quasi adificium construendum: magnum verò an parvum sit, quod ex illis conflatur, ad pulchritudinem nihil referre: imò plerumq; usu venire, ut officiat pulchritudini magnitudo, & quò quæq; res minor est, eò pulchrior videatur, & pulcherrima, quæ minima. Id potissimum in statuis pictisq; imaginibus, & in omnibus rerum omnium simulacris animadvertere facile est: quippe quæ tantò expressius atq; illustrius pulchritudinem ostentant suam, quantò est moles paucior, & figura compressior. Vastum mare, immensum, informe dicunt Poëta, speciosum aut pulchrum non dicunt: lacus verò & piscinas & amnes pulchros dicere non verètur: detrahit enim de pulchritudine aliquid granditas in rebus omnibus, quæ quoniã tota atq; integræ oculis cõprehendi non possunt, eo ipso pulchræ dici non possunt, quia grandes sunt. Hinc illud est Martialis ad Cottam, qui eundem se & magnum & bellum dici volebat: quod Poëta ostendit, fieri prorsus non posse, quoniam alterum alteri obstat.

Magnus homo, & bellus vis idem, Cotta, videri:

• Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

At Reges Imperatoresq; magnos esse oportet, non parvos, ex decreto omnium nationum. Audite,

die,



dio, & penitus concedo, licet multa possem addu-  
 cere in contrarium, tam exempla virorum for-  
 tium, quam testimonia poetarum. Sed ideòne ad  
 pulchritudinem requiritur magnitudo? Non  
 consequitur: quia Reges atq; ductores militum,  
 fortes potius, & graves, & feroces decet esse, quam  
 pulchros. Et Spartani, cum ab Archidamo Re-  
 ges, non Regulos exigebant; haud illi de pulchri-  
 tudine laborabant: si laborassent, pulchriores  
 erant Reguli, quam Reges: sed illi, tales optabant  
 contingere sibi Rectores, Ducesq;, qui civibus ve-  
 nerabiles, hostibus formidabiles viderentur: ut-  
 rumq; autem magis efficit proceritas membro-  
 rum, quam humilitas; praesertim apud multitu-  
 dinem imperitam, cujus acies hebetior, non pe-  
 netrat in animos, & rerum specie super-extan-  
 tium mirabiliter commovetur. Itaq; apud Ma-  
 ronem Turnus atq; Mezentius immanes, vasti,  
 magni appellantur, non pulchri; & saepe cum Ty-  
 phœis, cum Briareis, cum Aegonibus compa-  
 rantur: contra Regum, Ducumq; filii juniores,  
 cum parvi essent, pulchri etiam dicebantur, saepe  
 collati floribus, hyacinto, lilio, amarantho; inter-  
 dum auro, ebori, terebinto, ut Lausus, ut Pallas,  
 ut Euryalus, & ante omnes, Pulcher Iulus. Sed  
 quid exquirimus aliorum testimonia in eo, quod  
 planè cernitur, planè tangitur? Facimus adeò  
 injuriam nostris oculis, & nostris manibus, si de  
 pulchro, aut non pulchro, nobis ipsi sine teste non  
 credi-

credi-



credimus. Vn' videre pulcherrimè, quam non adiuuet magnitudo pulchritudinem? cogita, pueros tam diu esse & haberi pulchros, dum pueri sunt: ubi verò grandes fiunt, pulchri esse desinunt: membris crescentibus, forma decrescit, quantumque accedunt ad magnitudinem, tantum recedunt à pulchritudine. Iuvenes enim robustos potius, valentesq̄, viros graves potius, honestosq̄ nuncupamus, quam speciosos aut pulchros. Prope est ut probare possim, ad eò magnitudinem nihil decoris adungere pulchritudini, ut etiam detrimento esse videatur: ad Tullianam verò definitionem si quid addere oportuerit, quod certè non oportuit, brevitatem, & paucitatem potius, quam magnitudinem addendam fuisse. Sed cavendum est, ne ad ceteram huius epistolæ deformitatem accedat ea, quam nimia granditas, & magnitudo posset afferre. Vale. Ex Collegio S. Bernardi.

Desieram, pugnata pugna, pro parvis adversus magnos: cum ecce tibi coortus ex insidiis Aristoteles, tribus ex locis in me impetum fecit. Nicomachus filius primum intorsit jaculum, Rhetor alterum, Poëta tertium. Cum Rhetore faciebat Alexander, & gladium in me strinxerat, cum in tempore monui hominem, quid illi cum Sifigambi, quid cum Amazonum Regina contingerat: quarum illa, ut nosti, Magnū non magnū vix agnovit, hac elusit. Credo, erit à me. Cras igi-



*tur adversus singulos. Si vincam, minus de-  
formes erimus, quia parvi: si vincar, minus erunt  
deformes litteræ, quia magnæ. Iterum vale.*

FRANCISCO LANCELOTTO,  
I. C. FLORENTIAM.

**R**ogas me, ut patiar, à te divulgari epistolas  
meas. Non placet, filias esse in luce, cum sit  
pater in tenebris; & longè satius duco esse, cum  
tineis & blattis, quàm cum Zoilis & Momis in  
certamen venire. Credas mihi velim, amice  
magnæ: difficilius est, quàm credunt vulgo, vel  
rectè scribere epistolam, vel ita scribere, ut diu  
placeat eruditis. Difficultatem affert res ipsa:  
requirit enim hoc scriptiois genus exquisitam  
dicendi elegantiam, non sine salibus & urbane-  
tate, quod arduum est facere meditantibus; nec  
ferè utilitatem & fructum affert, quod adver-  
sum est vivere cupientibus. Itaq; non ferè alia-  
rum lucubrationum acerbiora vel crebriora  
spectantur funera, quàm epistolarum: in multis  
quotidie subnascentium millibus, haud ita mul-  
tas parentibus suis superstites videas: plerasque  
(quod acerbissimum est) illi ipsi, qui protule-  
rant, extulerunt; & trajectus longè brevissimus,  
à cunis ad rogam fuit. Neq; illud prodest, quod  
Flaccus precipit, si novennium ipsum impendas,  
complendo foetui: vivaciores sunt aliorum men-  
strus foetura, quàm decennales nostræ. Superse-



deo exemplis in re tibi perspicua, mihi lubrica ad narrandum: ne, si quos partus etiamnum adulationis fovet, eos ego habere pro mortuis videar. At mee (sic enim scribis) ardentissime flagitantur. Securius possem dare, si remissius atq; frigidius peterentur: contentio ista sollicitudinem & curam auget. Miror etiam si serio expetuntur. Quid enim? putemne ex vero animi sensu loqui eum, ac non mihi verba dare, si quis paulo eruditior dicat a se requiri meas epistolas? Id vulgus litteratorum curat scilicet. Cumq; habeant ex veteribus Plinium, Senecam, M. Tullium; ex nostris Politianos, Mantios, Muretos, Lipsios, est periculum, ne, si nostra desiderent, non sit, quo suum otium oblectent juvenes harum rerum studiosi. Erant alia causa, quae me ab edendo deterrebant: quas si colligere pergam omnes, periculum est, ne, quam studeo vitare, facilius incurram arrogantiae suspicionem: videbor enim dubitasse, facturus necne fuerim, id quod pro explorato habere debui, non esse faciendum. Vale illustris adolescens, & perge alacriter, quod te tua indoles, & paternum urget exemplum. Perusia, ex Collegio S. Bernardi.

---

 NICOLAO SILVUTIO.

## RECANETUM.

**B**ene Deus faciat Guarino meo, qui tales amicos mihi conciliat: etsi tuam, Silvuti,  
 V bene-



benevolentiam, non illi magis, quam Mercato, eruditissimo ac politissimo viro, acceptam referre debeo: meus enim Grammaticus majores in me laudes conferre non potuit, quam ut diceret, me aliquo numero esse inter eos, qui pueriles litteras profitentur. Hoc autem, ut ego arbitror, non est satis ad amorem tui similitum excitandum: aliud aliquid fuisse oportet, quod te nobis amicum daret. Quamobrem non fallit me conjectura: mercatus sua eloquentia, suis praedicationibus, suo in nos eximio studio, mercatus est nobis amore tuum: quem ego tamen, neq<sub>3</sub> nunc minus libenter complector, neq<sub>3</sub> in posterum minus diligenter tuebor, quod eum non donare, sed vendere videaris. Mercatus enim est, qui emit: ego mihi & a te & ab illo donatum puto. Tu quoq<sub>3</sub> redonatum tibi existimes affectum meum; & quicquid possum, quicquid valeo, fore ubiq<sub>3</sub>, ac semper tuum. Vale. Perusia.

---

JACOBO MERCATO SIL-  
VESTRINO.

RECANE TUM.

**Q**uaestuosam & nobilem mercaturam! in qua primum mihi scientissimus homo mercendi, sua sponte uberes ac pretiosas coparat merces; deinde quasi nec nimum mulsas, nec nimum lectas invenit, homo ditissimus atq<sub>3</sub> humanissimus adiungit suas. Felix aucupium: in quo avem  
ipsam



ipsam secutus ducem, primo ad nidum deductus sum; deinde unâ rapti latentis pullos, & matrem indicem. In tuis, Mercate, nundinis & rationibus, hanc feci fructuosissimâ atq; honestissimâ negotiatione: in tuis, Silvuti, saltibus, hanc nactus sum, de qua dixi, duplicem atq; optimam prædam. Me felicem, qui vos cepi; felicior, qui captus invicem à vobis fui. Ex quo jam video, talem tantamq; inter nos ortam esse conjunctionem animorû, ut hodie ad unum rescribens, cum duobus loquar; sic cum vestre alterutrius mihi redduntur, vestras videar legere utriusq;. At tu, Silvuti, delicias facis, & tuum meritum ita extenuas, ut in te adjungendo, nullum me lucrum fecisse audeas dicere. Facis adeo iniuriam mihi, qui quam cæcus in ceteris, tam soleo esse in legendis amicitis oculatus: facis & Mercato nostro, qui rerû talium multo est, quam nos sumus, intelligentior. Sed excuso te, quod eisdem litteris negas me bene emisse; & ais, emisse optime. Videor pugnancia loqui? Tu locutus es prior: qui cum poluissimè scribas, imperitum te ac rudem scribendi vocas; & dum te spoliis laudibus, aperte ostendis, esse tibi ornamentorû ac vestium ingentem copiam. Multa hominè, Mercate; multa ob mendacium. & jube statim mittere ad me, quas composuit, in Magistrum meum Notas. Ego quoq; remittam aliquid, sed levius: quippe officio adductus, non supplicio coactus. Valete. Perusia.



---

 JOSEPHO FAVORINO  
 MEDICO.
 

---

**S**ynopsin tuam legi, excellentissime Favorine,  
 non solum libenter, sed etiam diligenter; imo  
 ideo diligenter, quia libenter. Omnino ejusmodi  
 liber est, qui una opera declarat hominis excel-  
 lentiam, & testatur tuam. Te felicem supra o-  
 mnes, qui aliquid litteris commendaverunt, cui  
 propter talem lucubrationem, non unum popu-  
 lum aut provinciam, sed plane omnes mortales  
 debere aliquid par est; cum tu de omnibus, hoc  
 argumento, praeclare meritis videaris: felicem  
 iterum, & verè ac merito Favorinum, cui caele-  
 stes illi orbes ita faverint, ut uni unicam bene-  
 medendi, bene scribendi tribuerint facultatem.  
 Ego verò maximè omnium tibi debeo, & ago  
 gratias; quia maximè omnium, hoc quasi ad-  
 monitore aut magistro indigebam, qui me do-  
 ceret, quantum homo excelleret supra ceteros  
 animantes. Siquidem aliis alia contigerunt vi-  
 ta solatia: ego pauper, luce orbatus, & membris  
 captus, quò minus abundo privatis bonis; hoc  
 magis necesse habeo confugere ad ista publica:  
 videlicet in me ipso nihil jucundum, nihil opta-  
 bile potest occurrere; at in homine tuo occur-  
 runt multa: quae licet sint mihi communia cum  
 omnibus, tamen magis mea esse judico, quia mea  
 non habeo. Vale, ex Collegio S. Bernardi.

ANTB.



## ANTENORI VANNUCCIO.

R O M A M.

**Q**uod me laudas apud Heroem nostri seculi  
 longè clarissimum, & amplissimum; facis,  
 Vannucci, pro ingenita tibi humanitate, & pro  
 suscepta erga me singulari benevolentia. Sed di-  
 cam tibi: etsi laudari honorificum est, præsertim  
 à laudato viro, præsertim apud Principem lau-  
 datissimum; tamen non admodum letor: quòd  
 verò etiam mea scripta illi ostenderis, etsi ambi-  
 tiosum sit, hoc letor: illa namq; laudum ponde-  
 ra, quæ tu frequenter imponis, mea infirmitas  
 planè non fert. Mei sive Grammatici, sive Rhe-  
 tores, sive alii modeste me laudant, vel potius in-  
 tra modum: neq; metuo, ne non pulchrè possim  
 implere, quod illi pro me sponserint. Tu quod  
 recepisti, ac semper recipis, difficilius tuebimur;  
 & periculum est, ne dependere olim habeas de  
 tuo. Videlicet mei me Grammaticum, aut vix  
 Rhetorem; tu Oratorem etiam, atq; Poëtam vi-  
 deri amas. Itaq; Orationem proximè habitam,  
 de questione Virgiliana, contra Coelium Rhodi-  
 ginum; & Poëma de nostratibus, domi forisq;  
 illustribus Perusinis, instanter poscis. At ego neq;  
 hoc misi, neq; illam: longiuscula sunt: scriptor  
 abest per ferias autumnales: nihil ad manum  
 est ἐναγώνισον. Sed profectò debemus uterque  
 hanc gratiam fortuna, quod mittendi facultas

V 3

do-



defuit. ego ad opinionem ingenii, tu ad laudem  
 iudicii retinendam. Ac mitto tamen, ne repu-  
 gnare in omnibus videar, tria epigrammata,  
 qua requiris, in nuptias Farnesianas: priora duo  
 (ut meminisse te arbitror) Corregius fecit, ter-  
 tium Rotatus. Ego leviter castigavi, prope-  
 diem cum ceteris (si Deus annuat) daturus in  
 lucem. Agnosces illud, cuius caudam inepti  
 scioli momorderunt. Quos ego: sed cavendum  
 est, ne se aliquid estimari putent, qui potius  
 digni sunt, ut rideantur: Vale. Perugia. Ex Col-  
 legio S. Bernardi.

---

IN NUPTIAS  
 SERENISS. DUCUM RANUC-  
 CII FARNESII,  
 &  
 MARGARITÆ ALDOBRANDINÆ  
 TURCA LOQUITUR.

Quos trepido ante alios invidi Martis alumnos,  
 Aldobrandinos, Farnesiosq; duces;  
 Hei mihi, mansuris coeunt in tœdera tædis,  
 Castaq; cœlestis pectora jungit amor.  
 Proh me quanta manet geminato a robore clades!  
 Tantus ab alterutro si venit hoste furor!

IN EASDEM.

Jungiet æterno cum fœdere sensit Erinnyis  
 Aldobrandinum, Farnesiumq; genus:

Invidæ



Invida in adversos conjecit fulmina postes,  
 Fulmina disiectos perdere iussa lares.  
 Sed tantum non ausa nefas committere flamma,  
 Restitit, ultores visa timere Deos.  
 Et conversa, faces accendit læta jugales,  
 Quæ fuerat tristi subjiciunda rogo.

## IDEM ALITER.

Pronuba dum thalamos insternit Juno, paratq;  
 Farnesio pulchram jungere Margarida:  
 Intonuit levum, puroq; ex æthere fulgor,  
 Innocuo castos obruit igne toros:  
 Quid nisi portendens, Natis Eoa creandis  
 Regna, triumphato Thrace, parare Jovem?

## SENSO SENSIO I. C.

## ROMAM.

**D**E Justo Lipsio mecum sentis, ornatissime  
 adolescens: mecum autem? imò planè cum  
 omnibus, quos sive amœnitas liberalium studio-  
 rum, sive Musarum recessus altior, & secreta  
 delectant. Equidem ita mihi persuadeo, non fuis-  
 se ab aliquot seculis hominem majore ingenio,  
 acriore judicio, uberiore doctrina. Ingenium ad-  
 miror maximè in sententiis aut excogitandis, &  
 de novo cudèdis, aut ita expoliendis & exornan-  
 dis, ut ad omnem rem, de qua loquitur, semper a-  
 ptas, semper concinnas, atq; cum illa natas habe-  
 re videatur: ut mirum non sit, accidisse Lipsio in  
 hoc genere, quod haud scio, an & veterum planè

V 4 nulli;



nulli; ut eo vivente, à doctis viris ex illius ma-  
 numentis sententia colligerentur, & ederentur.  
 Judicium apparet illud quidem singulare in  
 omnibus, sed præcipue in rerum ordine tractan-  
 darum. Lege ab illo scripta, quæcumq; voles, ne-  
 gabis, ullam materiam, ordine ac methodo cla-  
 riore disponi potuisse, vel ad perdiscendum, vel  
 ad recordandum. Certè Politica, tot ex aucto-  
 ribus compacta, in illam seriem ordinemq; dige-  
 rere, non solum immensi operis, sed etiam eximia  
 cujusdam prudentiæ fuit: quem ego librum cum  
 lego, Regiam aliquam mihi videor intueri re-  
 bus omnibus instructissimam: & est planè Re-  
 gia, in qua primum Rex ipse amplum atq; au-  
 gustum habet domicilium; deinde comites, &  
 magistratus Regi proximam sedem occupant;  
 quam excipiunt hinc atq; hinc togatorum ar-  
 matorumq; stationes atq; cubicula discrimina-  
 ta. Totum verò Prætorium, quam altè surgit,  
 quam latè extenditur, non fabricatus est Li-  
 psius, etsi erat peritissimus homo fabricandi; sed  
 maxime veteres nobilesq; opifices ex Latio, ex  
 Græcia, ex Ægypto arcessivit, ad tantum opus  
 edificandum, & construendum: quibus ille o-  
 mnibus, quasi fabris, præcipiebat ut Architectus.  
 Jam quod attinet ad doctrinam, ea non solum  
 magna, sed varia, multiplex, & exquisita re-  
 rum etiam diversissimarum. Scribat aliquid  
 de Theologia, ut interdum necesse habuit scri-  
 bere,



bere, in Politicis, in Constantia, in libris de Cru-  
 ce, sed maxime in eo libello, quem inscripsit, De  
 una Religione adversus Dialogistam: videbis,  
 quam altè penetret in divinam illam scientiam,  
 Et quam intimè omnibus, sive Græcis, sive Lati-  
 nis Patribus esse usus videatur. Affirmat mihi  
 Theologus nostri Gymnasii longè princeps, M.  
 Antonius Massius, non ferè esse inter Theologos,  
 qui difficillimam atque obscurissimam illam de  
 Fato questionem, ita perspicuè, distinctè, intelli-  
 genter tractaverit, quam in primo de Constan-  
 tia Justus Lipsius. Age verò fac eundem disse-  
 rere, ut sepe differit, de minima Et tenuissima ar-  
 tium Grammatica: non Diomedem, non Cha-  
 risium, non Priscianum dices, illi esse anteponen-  
 dum. Exemplo sit subtilissimus, idemq; luculen-  
 tissimus de Latina pronuntiatione dialogus, in  
 quo non video, quid optimus quisq;, Et acutissi-  
 mus Grammaticorum requirere possit: ut poste-  
 ros credituros non putem, ab uno ingenio Et illa  
 suprema, Et hac infima tam doctè, tam scienter,  
 tam equaliter potuisse tractari. Quid artes Et  
 disciplina (ut sic dicam) intermedia? Dialecti-  
 ca, Philosophia, Jus civile? legantur libri, qui-  
 bus Civem informat, Et quibus Regem. Appa-  
 rebit, quam non inanis Et fucate, sed vera ac so-  
 lida sapientia consultus fuerit. Jus autem civi-  
 le non solum scientia, sed etiam professione suam  
 vindicat, ad eorum, qui docent numerum ag-  
 grega-



gregatus. De Rhetorica & Poëtica dubitatum aliquando est a non nullis: certè nunquam a me, qui & scitissimos quosdam ejus versiculos olim legeram, & tales omnis generis lucubrations singulari artificio laboratas atq; excultas esse intelligebam: sed proximè omnem dubitationem sustulerunt, præter varia epigrammata, recusa cum Antiquis Lectionibus leges hortuli; & nuper vulgata Oratio, quam habuit apud Principes suos Austrios, agens gratias de suo ex illorum splendore, gymnasio illustrato. Ex quibus liquido constat, si vel ad poëticam suavitatem, vel ad oratoriam gravitatem, animum appellere velit, fore in utroq; studio singularem atque eximium. Restant, opinor, tria, que ad humanitatem magis proprie pertinent, scientia linguarum, explicatio auctorum, notitia antiquitatis: in quibus, omnium suffragio, tenet Lipsius principatum. Itaq; nisi hominem non indoctum, qui non maximam Græcæ linguæ cognitionem illi tribueret, quod idem Lipsius in epistola quadam negaret, se multam operam huic studio impedis-  
se. Magnum testimonium, si de illius excellentia ex illius modestia, non ex æternis ingenii monumentis judicandum sit. At ego: Vide, inquam, mi homo, quam multa in Græcis corrigat, exponat, convertat felicissimè. Nam quod ad Criticam attinet, me potissimum in admiratione rapit, quod in scriptis veterum emendan-  
dis,



dis, ita semper est felix, ut siue inueniat veram  
lectionem, siue non inueniat; parem gratiam ab  
ipsis auctoribus, & a nobis lectoribus mereri vi-  
deatur: adeo enim quadrat loco, quicquid illi  
venit in mentem, ut etiam, cum fortasse fallitur,  
non fallat expectationem nostram; ipsos autem  
scriptores si reviviscant, dubituros putem, an-  
tiquumne suum malint, an Lipsianum novum.  
Delectat verò etiam illud mirabiliter, quòd non  
satis habet obscurum locum illustrare, involu-  
tum explicare, agrum sanare; sed inter curan-  
dam semper adhibet facetum aliquid & inge-  
niosum, quod quasi leniat preparatq; scriptorem  
male sanum ad medicinam excipiendam. Chi-  
rurgi mulcent hoc modo artus insigniter laesos &  
medicam manum exhorrescentes. Superest no-  
titia priscaevi, quæ in Lipsio tanta est, ut vidisse  
Remp. Romanorum, & omnibus actis interfuis-  
se, non modo per somnium, ut exponit in Satyra,  
sed verò ac seriò videatur. Felicem hominem,  
qui per ea quæ reperit, quæ disposuit, quæ scivit;  
& vixit antequam nasceretur, & ita est natus,  
ut nunquam sit moriturus. Felicem iterum, qui  
novo more duplicem adeptus est gloriam, & quæ  
ante illum fuit maximè diuturna; & quæ post  
illum futura est immortalis. Felicem ter & am-  
plius, qui hanc tantam & tam admirabilem o-  
mnium laudandarum artium cognitionem cum  
equali candore animi, religione, pietate conjun-  
xit.



*xit. Vale. Perusia. Ex Collegio S. Bernardi. Hanc epistolam cum Jacobo fratre, nobiscum penitus sentiente, communica, qui tale aliquid a me exposcere videbatur.*

P. VALENTINO MANGIONIO,  
EX SOCIETATE JESU.

ROMAM.

**G**Allus quidam insigniter eruditus, qui mihi comes obtigit, Romam veniens, Perusiam redeunti, narravit de repertis in Gallia fragmentis non pœnitendis historia Liviana, in quibus esset aliquid de Urbe nostra, per Octavianum destructa & restructa. Non crederes, quantam mihi huius sermo commoverit expectationem: tantam non frustra. Sperabat autem ventura in lucem ante autumnum: ventura etiam epigrammata veterum Latinorum, in quibus multa essent nuper inventa in monasterio Arvernorum. Suspicatus sum, fore aliquid Sidonianum, & ejus seculi poetarum: recitavit mihi aliqua perurbana; in his Hendecasyllabum, quem edidici, de Tiberio: cujus nominis cum producat secundam syllabam, dixi me vereri, ut esset à bono evo. Gallus jurabat, esse perveterem, & illius longitudinem syllabæ, aliquot firmabat exemplis, Avieni, Stella, Calpurnii. Quibus ipsis quantum tribuere oporteat, nescio: tu scies, &  
Sac-



*Sacchinus, & Gallutius: nam Stephonium ad  
hac humilia utendum, vel potius abutendum  
non censeo. Carmen duntaxat ostendite, si anti-  
quum judicat. Nec exigo tamen, vel a te, vel ab  
illis, ut mihi longe littera rescribantur: scio ve-  
stras occupationes, & lubens volensq; veniam  
do. Tiberio nostro dictate aliquid, quod remit-  
tat: faciurum libenter arbitror, ut quantus ipse  
sit, per vos discat, & latetur, se magnum esse: a-  
lioqui denunciate homini, non fore illi locum in  
meis hexametris, nisi cum voco: & non vocabo.  
Vale, Perusia, ex Collegio S. Bernardi 1602.*

---

DE CLAUDIO TIBERIO NE-  
RONE.

VETUS POETA.

Ternos vetusti congios falerni  
Uno die, conviviis peractis  
Tubos per amplos viscerum refundens  
Hauit, potentum Romuli nepotum  
Frenator audax, arbiterq; Regum,  
Jovis tonantis armiger minando,  
Bacchi pluentis cantharus madendo,  
Latè patentis imperator orbis,  
Latè æstuantis irrigator alvi.  
Exinde plebs Quiritium vocavit,  
Non Claudium Tiberium Neronem,  
Sed Cadium Biberium Meronem.

COMI-



COMITI HIERONYMO BIGAZINO.  
COCCORANUM.

**R**em suscepi pariter arduam, pariter lubricam ad scribendum, Biganzine, de illustribus viris, qui per annos amplius quadringentos, in urbe nostra, litterarum aut armorum gloria claruerunt. Arduam ipsi scriptores faciunt, sive alieni, sive nostri: horum enim petulantia, illorum invidia laboramus. Lubrica est ex sua natura: si quam enim honestiorem, ditiores praeferas familiam ( & suspicabar, fore aliquot praeferendas, in quibus nemo emereret ) illa queri, minari, ulcisci parata sunt. At celebrem inter majores suos nullum habent. Nullum? cum illis met si loquar, ut sum ego cum multis locutus; videbis pariter, & ridebis, quemadmodum nemo est adeo ignobilis & obscurus, quin reputet, se a magnis atq; illustribus originem ducere: nec desunt illis Senatorum, Ducum, Equitum speciosa nomina, quos ab sua stirpe ortos, aut credunt, aut credi volunt. Memini ( ut taceam, honoris causa, de aliis ) avum meum, cujus pater coriarius fuerat, & ipse in adolescentia sutoriam exercuit: qui propter Arithmeticae artis exquisitam scientiam, qua se insinuavit in amicitiam illustrium virorum, quibus sub Paulo 3. extruenda apud nos Arcis negotium incumbebat, cum rem domesticam eo artificio non nihil auxisset;

auxisset;



auxisset, & aliquem vite splendorem adeptus esset inter populares suos; huius qualia & quanta, senex puero, narrabat mihi de suis majoribus! inter cetera repetebat originem familiae, supra trecentos annos, & dictabat mihi longum catalogum Bonciariorum, qui cum Boldrinis, cum Picininis, cum Citolis militaverant, & aliquid in signo fecerant. Quibus quidem ut ego in pueritia delectabar, atque adeo gloriabar, ita erubui, natus grandior, propter meam presentis fortuna humilitatem, & abstinui meminisse, ad invidiam, aut superbiam evitandam: nisi hoc quoque subdiosum, atque subarrogans est, non siluisse. Unum oblivisci non possum, neque debeo, recentissimum exemplum rei litterariae, Petrum Paulum Bonciarium, qui, Ecclesia Theatina multos annos administrata, Proarchiepiscopus diem obiit: sed ea post se reliquit ingenii monumenta, quae mori hominem non permittunt, & à nobis elogio suo decorabitur inter nostrates, qui suis civile libris editis illustrarunt. Sed redeo ad te Bigazine. Dixi, esse difficile ac periculosum, de viris illustribus concinnare historiam, in magna rerum oblivione, in magna hominum ambitione. Sed difficultatem labor superat; periculum ita declino. Palam dico atque profiteor, me scripturum: rogo etiam maxime nobiles, ut ex sua stirpe suppeditent mihi virorum copiam laudabilium: nihil me malle, quam augeri patriam aestimatione,

tionem,



tionem, exemplorum multitudine & claritate. Unum peto, dent mihi locupletem auctorem, qui de suis faciat mentionem: decet enim, quemcumq; laudaturus sim, aut scripsisse ipsum, aut de ipso alios. Nec fuit quisquam ad hunc diem, cui non hæc honesta & æqua oratio videretur. Cum ergo mihi compertum sit, familiam tuam, ornatissime adolescens, longè principem tenere locum inter nobiles Perusinas: erit mihi gratissimum, si de tuis aliquot insignioribus certiores me feceris nominatim. Ego verò, quantum in me erit, operam dabo, ut, quam illi suis factis adepti sunt gloriam, ea meis verbis ornatior atq; illustrior ad posteros transducatur. Vale. Ex Collegio S. Bernardi.

---

ROBERTO BELLARMINO  
S. R. E. CARDINALI.

CAPUAM.

**L**ectissimus adolescens Angelus Ciajus, sororis tue filius, qui circiter biennium mihi operam docenti dedit, licet non perpetuam, sed iterum atque iterum valetudinis causa intermissam: sæpè & acriter a me contendit, ut de se, & de sua studiorum ratione non nihil ad te scriberem. Sed me cupidum obsequendi, due res ab instituto consilio retardarunt. Primum enim non audebam offerre tibi legendas meas: contemplatio  
ipsa



ipsa magnitudinis tua, arcebat longius humili-  
tatem meam; & repressa cupiditas obversantem  
animo speciem non ferebat. Nec mihi tamen,  
quod aliquis suspicari posset, sacra ista purpura  
mentis oculos prastinguebat; sed me alia que-  
dam claritas, cui purpuram nullam comparo,  
circumfuderat; & scripturum ad Robertum  
Bellarminum Archiepiscopum, Cardinalem,  
nihil extra Robertum, magnoperè commove-  
bat. Deinde cum mihi animos feceram, & tan-  
dem scribere obfirmaveram, tua fretus non mi-  
nore humanitatis, quam probitatis atq; doctrinæ  
fama: hasitamen, & de Angelo ipso quid scri-  
berem, aut quo modo scriberem, nō inveni. Quid  
enim dicerem? an florere illum ingenio inter  
æquales, iudicio super æquales? At hoc tibi scie-  
bam esse perexploratum, qui & pueri egregiam  
indolem antea esses odoratus, & identidem ex  
Fratris aliorūq; litteris cognovisses. An progre-  
di magno animo, magnisq; viribus in studio La-  
tine linguæ? Ne hoc quidem erat ignotum tibi,  
qui primū menstruas ab eo epistolas, mox etiam  
hebdomadarias & eo crebriores exigere consue-  
veras. An colere pari diligentia litteras, officia,  
pietatem? Hoc verò Lucius Bencius, pater Ger-  
manicus, noster Episcopus, ita semper curarunt,  
curantq; in dies, ut nec in illo instituendo suam  
benevolentiam, nec in te admonendo suam di-  
ligentiam, aut passi sint, aut hodie patiantur de-  
siderari.

X

siderari.



siderari. Quid tu? inquires: nihilne ad meum  
 excolendum, & ad me demerendum contulisti?  
 Ego vero, Cardinalis Amplissime, plus illis omni-  
 bus. A quo hi scilicet, nisi a me didicerunt, quid  
 in puero castigandum, limandum, reconcinnan-  
 dum videretur? Quis illos alius aut docuit, aut  
 omnino docere potuit, in hac quasi arbuscula,  
 quam ego ad colendum suscepissem, quid excin-  
 dere, quid inserere, quando addere, quando sub-  
 trahere alimentum; quo modo sapius mulcere  
 ac fovere, interdum stringere aut quaterere oportere?  
 Hac ego nimirum omnia, vel solus, vel ferè  
 solus: quippe qui non tantum quotidie, sed propè  
 in horis singulas, cum ingenio aequè magno, aequè  
 vivido conflictari necesse habui: & tam docui  
 illum, quid faceret, quid caveret, quam mon-  
 stravi aliis, quid dicerent, quid monerent. At  
 enim cur ego ad hanc usq; diem non scripsi ad te  
 unam litteram? Dixi de una causa: dicam de  
 altera, nec verebor apud te, non modo virum  
 clarissimum, sed etiam hominè simplicissimum  
 patefacere calliditatem atq; astutias meas. Feci  
 videlicet cacorum more, qui non prius aliquo se  
 demittunt, & gradum faciunt, quam caute pro-  
 tenta manu, locum curiosè ac diligenter explo-  
 raverint: nam ita ego quoq; à talibus ingenii  
 saepe deceptus, delegavi alius hanc provinciam  
 docendi tui; & de quo ego non nihil dubitarem,  
 id malui alios, quam me, tibi proponere ad spe-  
 randum.

randum.



randum. Nunc quando ( Superis benè iuven-  
tibus ) res ita cecidit, ut volebamus; & ille stu-  
dia non solum libenter tractat, sed etiã cum vo-  
luptate ac fructu; denique cum meam suspicio-  
nem non unum, aut alterum experimentum, sed  
constans, æquabilis, atque perpetua multorum  
mensium industria planè deleverit: non putavi  
diutiùs esse cunctandum, quin ego etiam ad te  
scriberem, & una eademq; opera, quod alii, me  
deferente, spondissent, meo chirographo ratum  
facerem, & gratularer tibi altam indolem ado-  
lescentis: de quo iam minimè dubitaverim, quin  
expectationi tuæ, votis nostris, officio suo satisfa-  
ciat. Faxit Deus, faxit Deus. Cui pariter gra-  
tias agere non desinimus. quod ad tuendam or-  
nandamq; Ecclesiam suam te delegerit, in quo  
admirabilem doctrinam cum amplissima digni-  
tate conjunctam esse voluerit: quandoquidem  
ad res maximas efficiendas, nec multum prodest  
docta humilitas, & multum obest indocta subli-  
mitas. Vale. Perusia. Ex Collegio S. B. 1602.

---

JO. MARIE DE MONTE.

R O M A M.

**E**X tam multis, quæ à me poscis jocosa epi-  
grammata, unum mitto De fabis: non quia  
urbanius aut festivius putem esse, quam cetera:  
(nam & rusticum est, & de rustico) sed potius  
quoniam in illa clade scriptorū meorum, quæ sub

X 2

secutus



secuta est cecitatem, ex tanto fratrum numero  
 abductorum, unus hic Renzus ad solatium reli-  
 ctus est Patri: nec illi tamen latrones peperce-  
 runt, sed latentem non invenerunt, quippe ille tu-  
 rum sibi perfugium delegerat, nostram memo-  
 riam: cuius angulum tot ante annos occupave-  
 rat, ut prescriptione fecerit suum. Eram, si qua-  
 ris, peradolescens, aut potius puer, cum hunc lu-  
 si per jocum, qui me serio luserat. Versus mihi ad  
 Muretum, qui castigavit, & duos inseruit de  
 suo: quo sunt mihi, & esse debent tibi, probatio-  
 res. Vale. Ex Collegio S. Bernardi. Perusia. 1602.

---

IN RENZI VORACITATEM.

Obsonans, Murete, famem, dum rura pererro:  
 Heus hodie tecum prandeo, Renzus ait.  
 Ingredimurq; domum: recta petit ille culinam,  
 Et gravida ante focum quid crepet olla, videt.  
 Messores patruus septem conduxerat: illis  
 Multa erat ex pingui cocta polenta faba.  
 Discumbit conviva meus, poscitq; fabarum  
 Quantum concha ingens, lata, profunda capit.  
 Glutit & extemplo: datur altera: glutit & illam  
 Continuo: affertur tertia: glutit & hanc.  
 Erubui pro illo, & quartam do: glutit & illam:  
 Cum stomacho quinta porrigo; glutit & hanc.  
 Bacche fave, fave alma Ceres, fave alma Fabulla:  
 Vel mihi tu saltem, tu Crepulina fave:  
 Tu Crepulina fave, subridens murmuro mecum:  
 Ille etiam secum murmurat, Olla fave.  
 Et pergit: patinasq; ligurrit ante novenas,  
 Quam foret ex rabido ventre fugata fames.



At cum siccata reliquum nil esset in urna,  
 Quæ super inveria est, illius ante oculos:  
 Recte, ait; esca mihi quæcunq; paratur edendo,  
 Semper ad hunc morem sit volo; pauca, bona.

## FRANCISCO BRACCIOLINO.

**Q**UOD Romam scripsi ante biennium, & pro-  
 ximè communicavi cum Guido Sensio, de  
 nova quadam ratione lacus exhauriendi, de-  
 jecto per cuniculos aut in totum aut per partes, eo  
 monte, quem Brachius Fortebrachius ferro ape-  
 ruerat, & vel hominum, vel temporis injuria  
 paulatim obstruebat: hoc ego audio ad Illustris-  
 simum Barberinum, quem ei rei summus Pon-  
 tifex prefecit, esse delatum: eum verò ad meam  
 rationem objicere potissimum hæc duo. Primum,  
 inquit, ea montis natura est, ac firmitas soli, ut  
 cessura ignibus non sit: exemplo esse posse, quod  
 Sixto V. dicitur accidisse in Firmano agro. Cum  
 enim ejusdem natura collem cuniculo subruere  
 tentasset, flamme per obstantem materia solidi-  
 tatem erumpere non potuerunt, sed partim op-  
 presse ac suffocate sunt; partim retrò, unde ada-  
 eta fuerant, cum impetu rediere. Secundo fa-  
 ciamus, inquit, montem, igne impellente, sustol-  
 li, atq; in altum levare: certè necesse est, recide-  
 re in eundem locum, ac repetere sedem suam: er-  
 gò manet propè idem labor materia exhaurien-  
 de: sed duplex emergit incommodum, quia spe-



eius antiquum penitus clauditur, & aggeri capi-  
 piundo locus non invenitur: cingunt enim utrin-  
 que montes excelsiores, & vallis, in quam lacus  
 effunditur, minime capax videtur tantæ molis.  
 Visum est conari diluere utramq; difficultatem,  
 hoc modo per schedulam, & subicere elegantis-  
 simo iudicio tuo responsionem meam: ut si forte  
 non improbas, ne graveris ea de re cum Principe  
 tuo verba facere; si vero penitus reprobas, etiam  
 penitus opprimas. Ad primum igitur physici re-  
 spondent, si magna vis sulphuris, & picis, & pul-  
 veris ingeratur; fieri non posse, quin moles illi-  
 co resolvatur & dissipetur: quod si Firmanis a-  
 liter cecidit, non esse mirandum, quia cuniculus  
 haud quaquam in viscera montis penetrabat,  
 neq; propter angustias capax fuit multarum cu-  
 parum, & doliorum, ex quibus pulvere infartis  
 stipatisq; flammæ excitari oportebat. Bracchius  
 vero totum suffodit monticulum, & ab uno ad  
 alterum latus fossam duxit, perviam atq; am-  
 plam, id est, cuniculis maxime opportunam, ex  
 qua scienter administrato negotio, montis casus  
 atq; ruina necessario consequatur. At restat se-  
 cundus labor exhauriendi; & locus deest ad  
 tantam aggerem recipiendum. Audio: sed ex-  
 haurire aut complanare collem, funditus quas-  
 sum ac resolutum, non magni est negotii, quia  
 non vectibus aut scalpris, aut ligonibus agenda  
 res est: terra ipsa jam rarefacta & putris, facil-  
 limè

limè



limè in quam voles partem devolvi poterit: pala-  
tantum, & trabis, & carris, aliisq; ad exportan-  
dum machinis opus est: dura, solida, lapidosa  
ignis infregerit. Sed quodnam erit, aut esse pote-  
rit, tanta materia receptaculum? Ipse videlicet  
Thrasymenus: in quem si montis machina uni-  
versa dejiciatur, audeo dicere, non unum digi-  
tum altiores fore, quam nunc sunt, undas. Ve-  
rum hæc qualia tandem videantur, vel Illustris-  
simo Barberino, si ei ostendenda putaveris; vel  
tibi, si non putaveris: rogo te, Vir clarissime, ut  
illius benevolentiam mihi retineas, & te non au-  
feras. Vale.

---

POMPEJO DE ANGELIS.

Cum heri, Vir humanissime atque doctissi-  
me, contulisset me ad vos, ut Illustrissi-  
mum atq; Excellentissimum Urbis Priorem, ob-  
sequii causa, salutarem; & ad litterarias exer-  
citationes nostras invitarem in perendinum, quæ  
B. Bernardo dicatus est dies: miratus sum be-  
nignissimi Principis indulgentiam, qui, ut par-  
ceret imbecillitati pedum meorum, non est pas-  
sus, me longo scalarum tractu ad se accedere,  
sed usus gravissimo interprete Hondedao, præ-  
fatus, incommodum illud via capiundum mi-  
hi non fuisse, humaniter comiterq; pollicitus est,  
se venturum. Et hoc quidem mihi gratissimum  
fuit: illud vero (dicam liberè) tuli molestius,  
X 4 quod



quòd te adire, tecumq; congregari concessum non est, qui mihi exeunti, secundis in votis fueras. Porro comites ac pueri vestri, à me rogati, ut si tibi otium foret, adesse me nunciarent, cupidum tui salutandi, & invitandi; negarunt evocari te posse usq; ad octavam horam: ea verò cum in propinquo esset, Praestolabor, inquam, vos apud proximum bibliopolam, è regione vestrarum adium. Annuunt, & ultro spondent adituros se, ac monituros in tempore. Fui autem in taberna libraria non dimidiam, ut illi jusserant, sed integras horas duas, nec sum oblitus identidem mittere speculatum de accessu, & de opportunitate conveniendi: sed vestri aut inventi non sunt, aut alia omnia responderunt. Itaq; domum revertor tristis: comites autem mei tristiores. Sed ego ad me pariter, eosq; consolandos, inter eundem narravi lepidum factum magni Ducis Achaorum Philopœmenis: qui cura & statura esset pusillus, & facie indecorus; præterea cum minimè honorifico comitatu, & vestibus parum cultis incederet, hoc olim sive fortuna, sive indigentia sua pretium tulit. Homo, inquam, condixerat amico suo cenam, & sub horam accumbendi solus ad eum se contulit. Fortè hospes exierat domo negotii causa: uxor verò, quæ nunquam viderat Philopœmenem, & tantum fama cognitum habebat, conspicata faciem hominis minimè liberalem, ceterumq; neglectum corpore;

ris;



ris; arbitrata est, hunc scilicet unum esse de numero servorum præcurrentium. Itaque rata, propius quam putarat, abesse Imperatorem, intenta convivio preparando, & properando, jubet hominem adjuvare, & navare aliquid inter ministrantium turbam. Ille statim pallio deposito, & sumpta securi, non dubitavit invicta dextera, quam hostibus trucidandis assuefecerat, abuti ad sordida ministeria, & cogere indocilem, ligna scindere ac secare. Inter hæc dominus hospes rediit, & ad tale spectaculum, animo perturbato, ac propè attonito, Quid hoc, inquit, o Philopœmenes? Tum ille, Non aliud, inquit, nisi quòd deformitatis mee luo pœnas. Hæc ego autem dum narro, & me confirmo ac meos; obviam habui veterem amicum, Guidum Sensium, à quo in currum receptus, & primò jucundis sermonibus, deinde jucundioribus epulis, corpore pariter atq; animo recreato; decrevi talem ad te mittere salutatorem, atque internuncium, cui facies, & insuetus corporis habitus intercludere aditum non posset. Atq; ita facio: schedulam dicto, & mitto, quæ te jubeat salvere, roget venire. Vale. Ex Collegio S. Bernardi, triduo ante Presidis nostri natalem diem. Illustrissimo & Excellentissimo Principi Aldobrandino felicem rerum omnium eventum precor, & exhibeo illam animo reverentiam, quam corpore aliquando non potui, aliquando ausus non sum.

X 5

FRAN-



FRANCISCO MARIÆ  
TAURUSIO,

S. R. E. CARDINALI,

Archiepiscopo Senensi.

ROMA M.

**N**on possum non diligere præter ceteros, & excolere supra ceteros Acursum Taurusium, liberali præditum ingenio adolescentem, & tibi arctissima cognatione devinctum. Hoc enim ut faciam, nervosq; intendam omnes; tua me, Cardinalis amplissime, auctoritas movet, Politianus Episcopus rogat, Comitulus Præses imperat, officium meum cogit. Ille verò tametsi anno superiore longam fecerat intercapedinē studiorum, partim molesta valetudinis causa, partim honesta remissionis gratia: tamen hoc tempore ita libenter atq; jucundè cum Musis versatur, quasi earum consuetudinem nunquam intermisisset. Itaq; soleo dicere, mirum mihi quiddam in hoc discipulo contigisse, ut nemo unquam apud me minus egeret commendatione, nemo plures majoresq; habuerit commendatores. Proximè scrutatus sum diligenter illius ingenium, memoriam, progressum in rudimentis, loquendo, scribendo, interpretando: prorsus reperi, qualem esse oportebat, & qualem ego volebam, egregiè instructum armis, atq; Grammatica suppellectilè:

in pri-



in primis verò ( quod hujus negotii caput est )  
 sciendi cupidum, studendi certum. Quare con-  
 tinuò ab inferiore schola traduxi ad superiorem,  
 & aggregavi ad numerum eorum, quos Episco-  
 pus ipse frequenter excutit, exploratq̃, subtiliter  
 ingenia & studia singulorum. Deum rogo Opt.  
 Max. ut tibi cum cetera felicitate, pro auctario;  
 mihi cum cetera calamitate pro solatio, cōcedat,  
 ut bonis excultum artibus adolescentem, tu ha-  
 beas, ego fecerim. Vale. Perusia. Ex Collegio S.  
 Bernardi, 1602.

## ALEXANDRO CERVINO.

P I S A S.

**N**on poterat epistola tua, nobilissime adole-  
 scens, aut accidere mihi jucundior, aut inci-  
 dere oportunior. Cum enim necesse foret, quod-  
 cunq̃ a te mitteretur, id mihi omni tempore, o-  
 mni loco, esse gratissimum vel propter claritudi-  
 nem tuam, vel propter obscuritatem meam: fe-  
 liciore contigit meo fato, ut littera tam elegantes,  
 tam disertæ, tã in me honorificæ, ibi potissimum,  
 & iis presentibus, redderentur, unde altero tan-  
 to amplior & illustrior existimatio mihi veniret.  
 Dies erat B. Bernardo sacer, quem Præsidentis  
 Patronumq̃ agnoscit nostra familia: paulò ante  
 fuerat habita Oratio, & Poëma etiam recitatũ  
 in amplissimo auditorio, satis cũ plausu: interfue-  
 rant viri Principes, Episcopi, Prolegati, Mar-  
 chiones,



obiones, Comites, & supra ceteros Magnus Prior  
 Aldobrādinus: preterea homines insigniter eru-  
 diti, quibus civitas semper abundat, aut exteris,  
 aut suis: in his duo eminebant mihi cogniti, Ro-  
 manus unus, Græcis Latinisq; litteris excellens,  
 Pompejus de Angelis; Pistoriensis alter, poëta  
 nostri ævi celeberrimus, Franciscus Braccioli-  
 nus: legebantur quoquo versus pendentia ex pa-  
 rietibus epigrammata, & emblemata, sive gra-  
 ca, sive latina, quæ nostri juvenes laboraverant  
 ad magnum Cœlitem, ad magnos Principes: in-  
 ter hæc unum habuit noster Ciajus, quod ad te  
 mittit, licet nec argutum, nec excultum satis.  
 His ergò tantorum Principum gratulationibus,  
 & laudationibus, quas illi ampliter in nos inge-  
 rerent, ego regererem; accessit pro illis, adversum  
 me, testimonium litterarum tuarum, quibus ego  
 vel advocatis, vel etiam iudicibus, litem perdi-  
 di, & appellatio ad aliud tribunal non fuit. Quæ  
 quidem disceptatio sic præcisa, sic absoluta, im-  
 pedit me, quò minus audeam rejicere, ac redde-  
 re tibi laudes, quas in me supra meritum libera-  
 lis, imò prodigus contulisti. Tantum dico, a quo  
 die tuas ad Ciajum litteras legi, & illas ingenii  
 primitias gustavi; nihil unquã fuisse mihi opta-  
 tius, quam ut navarẽ tibi aliquo pacto studium  
 meum; atq; (ut fui semper in hoc genere ambi-  
 tiosior) invidisse me præceptoribus tuis, quos vi-  
 derem, in te ad humanitatem erudiendo, ma-

gnam



gnam laudem ex non magno labore consecuturos. Itaq; anno superiore, cum accerferer ad honestissimam, eandemq; fructuosissimam conditionem Pisanam: nihil me magis ad veniendum hortabatur, quam quod sperarem, posse usu venire, istic si essem, ut juvarem aliquid studia tua, & partem laudum tuarum, ab ingenio studioq; manantem tuo, derivarem ad industriam & disciplinam meam. Sed me multa, magnaq; causa a suscepto & probato consilio deterruerunt, pigra cecitas, infirmitas valetudinis, conscientia tenuitatis, & Principis mei vel auctoritas, vel benignitas; cujus si negligerem imperium, superbus, si liberalitatem non agnoscerem, ingratus dici metuebam. Faxit Deus, ut aliquis ex fratribus, aut cognatis tuis, per te mihi traditus in disciplinam; una opera quantum minuet desiderium tui, tantum augeat nostram gloriam. Fac valeas honestissime idemq; modestissime adolescens, tibiq; penitus persuadeas; in tanta nobilitate, quantam certè habeo faventem studiis meis, non ferè esse, cui plus tribuam, cui plus debeam, quam tibi. Ex Collegio S. B. Perusia. 1602.

COMITI PHILIPPO GABRIELLIO.  
IGUVIUM.

**P**Tra, persica, uvas, aves ab Iguvio usq; ? magnum sanè argumentum benevolentia; sed illud majus, mihi certè gratius, quod per Etruscam



scam Oden, & per latinas litteras, facis me de  
 prospero in patriam adventu, & de maturo ad  
 nos reditu, certiozem. Illud miratus sum, quod  
 idem studere te, & non studere, mihi significas:  
 cum enim scribis, perire tibi totos dies, & non u-  
 num momentum dari ad Musas recolendas; ex  
 eo colligo te non studere: contra cum doles istuc  
 ipsum perelegantur, & perargute, tam soluta,  
 quam vineta numeris oratione; rursus colligo, te  
 studere: talem namq; epistolam, & tale carmen,  
 feriatus a studiis, non faceres. Ergo tantum lit-  
 tera hoc negat, littera ajunt. Ego vero in uno pu-  
 dorem tuum, in altero diligentiam, in utroque  
 agnosco vehemens & acre studium proficiendi,  
 quod me adeo delectavit, & excitavit, ut mediis  
 in vindemiis hoc effuderim, Baccho potius,  
 quam Phœbo auspice, ut redderem paria pari-  
 bus. Vale. Passionens te resalutat: ego fratrem  
 tuum, & fratres Barsios salvere à me volo. Ex  
 Collegio S. Bernardi. Perusia. 1602.

---

DE TIBERIO TALPA GALEA-  
 TII VICECOMITIS PRO-  
 mocondo.

Octoginta cados ex fonte Tiberius, amplum  
 In dolium refuderat, multi meri:  
 Cum videt extemplo, crebris undantia guttis,  
 Madere ligna, rimulis recentibus.  
 Nam malè cum reliqua limen compage cohærens,  
 Recesserat paulisper in ventrem domus:  
 Quamq;



Quamq; supernè aberat, tam se ostendebat ab imo.

Ergo capeffiet malleum Tiberius:

Lapfiq; ut redeant, coëantq; æqualiter asses;

Qua parte lignum prominet, tundit, ferit.

Non tulit ostiolum geminatos fortiter ictus,

Et se retrufit matris in gremium suæ;

Ilicet erumpens vasto cum pondere Bacchus,

Fœdè miellum vinitorem proluit.

Perq; os, perq; oculos, naresq; auresq; penetrans,

Implevit usq;, & usq; spumanti mero.

Hinc tu perlepidè mutato nomine, Talpa,

Biberius dicere, non Tiberius.

### AD EUNDEM.

In flavas fertur cecidisse Tiberius undas,

Et fecisse tuis, Albula, nomen aquis.

Nunc te, Talpa, novo circumfluit amne Lyæus:

Nec tu illi nomen, sed facit ille tibi.

---

### NICOLAO FIERBERTO, ANGLO.

#### ROMAM.

**I**gnosce mihi Fierberte, non solùm eruditissime, sed etiã elegantissime, si te abutor, ad questionem Grammaticam diluendam: etsi enim res est admodum levis, atq; pusilla; tamen magnas gravesq; concitat turbas, & videtur posse opprimere infirmitatem meam, nisi tua, & tui similiũ auctoritas preesto veniat. Voces due sunt in præterito, & futuro Coniunctivi, Amaverimus, Amaveritis; que longãne, an brevi penultima, inter loquendũ proferri debeant, Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est. Phocas



enim utrasq; corripit vult: Servius utrasq; produci mavult: Diomedes ponit se in medio, & prateritum quidem corripit, futurum verò producit: accidit pro quarto Quinctanus, & producit prateritum, corripit futurum. Quid magis perplexum, imò magis contrarium precipi potuit? Nam poëta, quibus propemodum unis decidendi jus est, in talibus controversiis, que spectant ad pronunciationem: hi verò magis magisq; implicant & involvunt questionem, quia modo producunt, modo corripunt, sine discrimine. Producunt (quos quidem ego legerim) Ennius & Catullus, corripunt Lucretius & Virgilius. Naso variat: nam lib. 2. Metam. ita scribit.

Mentiar, obscurum nisi nox cum fecerit orbem,  
Nuper honoratas summo mea vulnera cælo  
Videritis stellas illic, ubi circulus Axem. &c.

*Idem de Ponto lib. 4. Eleg. 5.*

Hæc ubi dixeritis seruet sua dona, rogare.  
Sic fuerit vestræ causa peracta viæ.

*Contra in eodem libro & eadem elegia sic habet:*

Cum gelidâ Thracen, & opertû nubibus Æmon,  
Et maris Ionii transferitis aquas. Et ibidem:  
Copia nec vobis, ullo prohibente, videndi  
Consulis, ut limen contigeritis, erit.

*Et hæc quidem, ut reliqua omnia, futuri temporis exempla sunt: nam prateritum, qui longum fecerit, ego nullum inveni, qui breve, multos, in his Virgilium lib. 6.*

Namq; ut supremâ, media inter gaudia noctem  
Egerimus, nosti: & nimiû meminisse necesse est.

*Dices:*



Dices: quid vetat communem putari istam syllabam, & intendi aut remitti arbitrio pronunciantium? Dispeream, si non hoc melius fuit: & fortasse veteres ita fecerunt. Nos sumus ineptè anxii de nugis: quid enim libertas nocet in pronuciando? mihi etiam prodesse aliquid videtur: nam quāntò laxior ac liberior sit regula, tantò erit & loquendi commoditas major, & peccandi facultas minor. Talia in lingua latina sunt, Academia, Eucharistia, metonymia, antonomasia; sic Antiochia, Cesarea, Capharnaum; sic Basilius, Darius, Arius; sic obliqui Davidem, Sampsonem, Gedeonem; sic vocativi Ascani, Mercuri, Gregori, Ambrosi, & sexcenta generis ejusdem. De quibus cum à doctissimis nihil certi statutum sit, fortasse ne statui quidem possit; liberum nobis esse arbitramur, non modo eligere quæ semper corripiamus, aut semper prodicamus; sed idem etiam, si libeat, vocabulum nunc breve, nunc longum enunciare. Magis adeò dolendum videtur, quòd non plusculas hujuscemodi voces habeamus, quas extendere, quas contrahere, in nostra sit potestate. Jam quando in antedictis necesse habui definire, longane an brevia proferri malle, timus & titis: post rationes & testimonia, quasi de usu, maxime illustrium gymnasiorum in Italia, in Gallia, in Germania; & ita comperi, Nobilissimos dicendi & docendi Magistros non nisi breviter pronuciare

T

tiare



viare tam in praterito, quam in futuro; vulgari  
 autem Ludimagistros longum facere aut al-  
 terutrum, aut utrumque. Tuli ergo audacter  
 hanc sententiam, in Grammaticis a me recusis;  
 Quamquam ea syllaba communis est versum  
 scribentibus, in loquendo tamen facere rectius,  
 qui semper corripiunt: id quod plerisque, facilime  
 persuasi, mihiq; a multis sunt acta gratia. Tres  
 quatuor, non ignobiles, ita obstinate ac pertina-  
 citer a me dissentiunt, ut rabiosas adversum me  
 scriptitent, atq; circumferant Apologias: qua tam-  
 etsi non stomachum mihi, sed risum movent; quia  
 tamen praeceptionem meam, si vera sit confirmari  
 cupio gravibus exemplis: rogo te, Vir prestantis-  
 sime, ut ea de re, tu quid sentias, & quem Anglia  
 usum retineat; mihi perscribas. Qui si forte a no-  
 bis es; ut amici spem faciunt, & ego suspicor: non  
 propterea expugnareo pervicacia adversario-  
 rum meorum: minime istud quidem: sed paucos  
 eorum sectatores, jam ambiguae fidei, inter fugi-  
 endi manendiq; consiliu, compellam facile ad de-  
 ditionem. Vale. Ex Coll. S. Bern. Perugia, 1603.

## E I D E M.

**L**Egi editum a te libellum elegantissimum de  
 Anglorum Academiis: nec facile possum di-  
 cere, quanta mihi ea lectio voluptatem in pra-  
 sens tulerit, & in posterum sit latura utilitatem.  
 Video enim, pleraq; ad Collegium & scholas no-  
 stras,



frat, magno cum fructu, non magno cum labore, posse converti. Esse autem hunc verum atq; germanum discendi modum, quo tu es usus, Fierberte; oratio tua mihi penitus persuadet, que hoc affirmat: persuasura, etiamsi non affirmaret, fortassis etiam si negaret. Adeo quicquid etiam velles evertere, confirmares imprudens; et plus omni preceptione posset exemplum. Vale. Abbatu Alano, ubi ubi terrarum est, si forte tecum non est, salutem meis verbis nunciari, aus scribi velim.

## CAROLO DE CAMPO.

**N**Unquam probavi communem quandam, et usu receptam regulam, conficiendi epigrammata sic, ut ad plures personas, easq; interdum diversas possent accommodari: et, ea que facerent, simillimos dicebam esse statuariis aut plastis, qui, tantum capite commutato, sub eodem trunco effingerent, non modo Pompejum et Achillem, Casarem et Alexandrum, sed etiam, si usus ferret, Thersitem et Vlyssem, Turnum et Aeneam, Mezentium et Jovem. Volebam namque inesse semper aliquid proprium ejus cui facerem, quodq; ad alios translatum, quadrare non satis posset. Communes vero illas atq; proteritas laudationes ingenii, doctrina, nobilitatis, qua nunc vulgo omnibus tribuuntur, adeo non ferebam, ut ineptissimum esse dicerem epigramma.



gramma, quod, dempto priore titulo, posset esse multorum, ac ferè omnium: contra illud mihi videri optimum, certè opportunum, & ad rem faciens, quod unum unius esset, aut paucorum. Et quoniam illa, quas quarimus, proprietates singulorum hominum sunt; in meditando ad aliquem epigrammate, jubebam ea spectari maxime, qua in illo precipua essent, quaq; hominem à communitate ampla sejungerent, & redigerent in angustum. Hac ego quattuor ex fontibus ferè soleo haurire: id est, primò ex habitu animi, si ve corporis insigniore; secundo ex nomine & cognomine; tertio è stemmate & familia; quarto ex eventu & casu aliquo, ante rem, in re, post rem. Non gravabor, ornatissime adolescens, in tua spem gratiae, de singulis aut ferè singulis exempla ponere, quae in mentem redire poterunt inter dictandum. Ex primo genere censerì hoc potest, quod ego rescripsi ad Bartholomaeum Luparum, qui litteris aptè transferendis, & scitè cōnectendis, ex Bonciarius, fecerat NOBIS CARIUS.

Si nihil est æquè carum mortalibus, alma

Luce: quid heu cæco vilius esse potest?

At tu, trajectis fingens nova verba figuris,

Lupare, nil NOBIS CARIUS esse doces,

Scilicet extincti solatia luminis adsunt,

Prævalidæq; manus, prævalidiq; pedes.

Inspice me totum: jurabis, quicquid ab imo

Unguiculo summum crescit adusq; caput;

Vilium esse oculis: non stare, nec ire, nec ullas

Posse suo partes fungier officio.

Quod



Quod nisi me recoquas ipsum, corpusq; refingas;  
Re vilis, tantum nomine Carus ero.

*Ex nomine pariter & casu hac sunt, quæ ad  
Septimum Eugenium mei pueri laborarunt,  
quo ille die aggregatus est ad I. C.*

Septimus est natus, sed nulli laude secundus:  
Ingenio reliquos anteit, ut numero.

## AD EUNDEM.

Si reputes, qualis fratrum te cinxerit ordo,  
Si reputes, quanto sis genitore satus;  
Quanta tibi laus est, cursum vicisse tuorum,  
Tantus erat, retrò vela dedisse, pudor.

## AD EUNDEM.

Cur tibi Septimii nomen fecere parentes?  
An quia sex Ortus anteire tuos?  
Non ea vana quidem causa est, sed verior illa,  
Omne quam fausto Calliopea probat.  
Quæ tibi septenis præcingit tempora fertis,  
Ut te septenis artibus erudiit.

## AD EUNDEM.

Cùm Deus æterno fundaret fœdere Mundum,  
Per septem fertur cuncta creasse dies:  
Sic tamen, ut semper meliora reponeret. Inde est,  
Ultimus ut sit homo tempore, sorte prior.  
Te quoq; postremos sortitum, Septime, partus,  
Credibile est, fratres ante venire tuos:  
Ac quantum te omnes nascendi tempore vincunt,  
Tantundem meritis cedere quemq; tuis.  
*Sunt hæc etiam à nomine, aut cognomine, quæ  
ad Portium misimus, & quæ ad Spadam, Peru-  
sa Doctoratus insignia capientes.*



*AD PORTIUM CAVALLERTUM.*

Portius es, nostra portas quia dives ab Urbe,  
 Quicquid amoris erat, quicquid honoris erat,  
 An potius patriam quia portas dives in Urbem,  
 Quicquid amoris habes, quicquid honoris ha-  
 Dicitur hoc verè; nec falsò dicitur illud: (bat  
 Certior esse tamen vocis origo potest,  
 Quod placidus miseris, undosa per æquora vectis,  
 Ad quem co fugiant, Portie, portus eris.

*AD SAC. PHILIPPUM SPADAM.*

Bellum, Spada, fremis; bellum tua signa loquuntur:  
 Dic mihi, cur posito cingeris ense toga?

*Hujus generis sunt, quæ ad Prolegatum me-  
 ditatus est Barnabæus, adjuvante tempore anni.*

*AD ALEXANDRUM MAJUM.*

Vere solebamus florentem quærere Majum,  
 Et medio in Majo dicere, Majus ubi est?  
 Causa diu laruit: sed, te Prætor, reperta est,  
 Quo præfente, licet dicere, Majus adest:  
 Majus adest, quanquã Autumnus jam desit, & jam  
 Aspera contracto frigore sævit hyems.

*A stemmate gentilitio hæc sunt de tribus gla-  
 diis evaginatiis, & tribus liliis, per Casarem  
 Hondedaum.*

*AD EUNDEM SPADAM.*

Tergeminus medium gladius discriminat orbem,  
 Teq; docet pugnæ edere tergeminas.  
 Mundum debellat primus, te Pluto secundus,  
 Et te, blanda Venus, tertia tela petunt.  
 Ternis ex bellis, terni tibi dantur honores,  
 Præmia pugnarum lilia trina trium.

AD



AD SILVIUM SABELLUM  
CARDINALEM LEGATVM.

Est tibi stemma Leo, sed & est tibi stemma Columba,  
Ad sociat placidam cur fera fortis avem?  
Scilicet illa reo facies metuenda nocenti;  
Hæc verò innocuos fidere imago jubet.  
Sic cum te rigidum probet altera, & altera lenem,  
Atq; hinc surgat amor, surgat & inde metus:  
Quadrupedum Regi quia candidus infidet Ales;  
Plus amo te Patrem, quam metuo Dominum.

AD EXCELLENTISSIMUM  
MARCHIONEM ASCANIVM

Corneum.

Cornus loquitur.

Quæ tantùm fueram rigidis accommoda bellis,  
En etiam pacis munera Cornus amo:  
Et quæ militibus peperit pugnantis hastas,  
Nunc & cantanti frondea ferta paro.  
Quercus dura Jovem, mollis te Laurus, Apollo;  
Me decorant æquis laudibus arma, togæ.

AD EJVSDEM FILIOS.

Cornus loquitur.

Qam Proavi stravere viam, Cornelia Proles;  
Quâ præit insignis Patruus, atq; Parens:  
Hac etiam vos ire decet; tibi spicula, Fulvi,  
Bellica; laureolas do, Federice, tibi.

*Sed hujus generis argumenta, quæ à domesti-  
cis petuntur Insignibus, vulgata nimium sunt,  
& in promptu omnibus: illa rariora, & ea re  
meliora, quæ aliquis eventus parit, si modo aptè  
decenterq; tractantur: eò visum est mihi, plus cu-*

T 4

la ha



*la huius generis exempla colligere: in his est ob hoc  
primum de Celso, cui de Patris, fortissimi viri,  
obitu nuncius venit, quo die ille inter Iurisperi-  
tos erat referendus.*

*AD JOANNEM CELSUM.*

Squalidus extinctum debes cum flere Parentem,  
Celse; quid ornatu splendore nites?

Quid lauro cingis, quæ sunt cingenda cupressu,  
Tempora? funestum non decet illa caput.

Scilicet hanc genitor tibi spirat ab Aethere mentem,  
Et quatit arcano pectoris ima sono.

Quod Bellona mihi, præstat tibi, Nate, Minerva:  
Da calamo majus, quam Pater ense, decus.

Fors te, Nate, juvat, quæ defuit una Parenti:

Perge: tuæ cedunt arma paterna togæ.

*DE LUDOVICO SCOTTO, ET  
SENSO SENSIO.*

*Ad Perusiam.*

Par juvenum, quo te jactas illustris alumno

Patria, dum merito cingit honore caput:

Vidit, & invidit duplicem tibi Roma triumphum,

Et conata tuum dissociare decus,

Alter honos mihi, dixit, erit; tibi sufficit alter:

Non potes una uno tempore ferre duos.

Scottum cedo tibi, Sensum mihi vindico: Sensus

An fortasse tibi non satis alter erit?

*AD P. M. NARNIENSEM, à DO-  
CTORATU AD NUPTIAS*

*properantem.*

Oscula, sincero gratantes ore, sodales

Mille tibi, amplexus & tibi mille parant.

Fallor? an ad patrias postquam perveneris oras,

Excipietq; suo te nova nupta sinu;

Ample



Amplexus alios, alio condita liquore  
Oscula, mellifluo dulcius ore bibes?

*IN OBITUM JULII DE ODDIS.*

Quod noctu condi tua iusseris ossa sepulcro,  
Odde, tuum tenebræ nomen ut obruerent,  
Falsus es; ardenti Virtus tua luce refulsit,  
Noxq; fuit medio clarior illa die.

*AD F. A. CONSILIARIUM TRIUMPHANTEM.*

Accipe consilii Princeps, auctorq; triumphî,  
Quæ dat Pieridum laurea ferta chorus.  
Non decet, hac magnum duci sine fronde trium-  
Non decet, intectum Principis ire caput. (phum,

*DE ILLUSTRISSIMO CORNEO PROMOTORE.*

Idem loquitur.

Nemea Pieria cingantur tempora lauro;  
Ornabunt melius Cornea ferta comas.

*Sed est tamen, in hac ratione, illud incommodi, quod sæpè qui aut nullas, aut exiguas merentur laudes, illustre præconium auferant, eò duntaxat, quia nomen, quia cognomen, quia stemma, quia deniq; fortuitum aliquid nacti sunt, aptum laudibus excipiendis: è contrario qui multis magnisq; virtutibus insignes sunt, vel exiliter, angusteq; laudentur, vel illaudati pretereantur, eam tantum ob causam, quòd habent antiqua omnia, & nulla rerum, nulla nominum novitate adjuvantur. Pendet igitur à fortuna sæpè laudatio, non à meritis singulorum; & illi difficilius laudantur, qui longinquas habent ori-*  

T 5 gines;



gines; illi facilius, qui propinquas: porrò alterò  
 necesse habent, contenti esse antiquis nominibus,  
 & Insignibus, quæliacumq; sui majores per vir-  
 tutem adepti sunt, sive apta, sive nò apta ad illu-  
 strandum; alteri verò, quibus liberum fuit, pro-  
 pter generis novitatem, legere sibi stemmata &  
 cognomina; sapienter legerunt grandia, speciosa,  
 illustria, quibus nihil negotii sit affingere ingētis  
 laudes. In his ego angustius sæpè fui, nobilissime a-  
 dolescens, & exitū vix inveni: sed hodie prorsus  
 non inuenio, laudaturus Rodulfium contuber-  
 natem tuum: qui quanto est ornatissimus ani-  
 mi, corporis, atq; fortuna bonis; tanto minimè  
 ac tenuissimas a me referet laudationes, magis  
 adeò propter nobilitatem suam, quam propter  
 imperitiam meam. Unum misi, & alterum epi-  
 gramma, quæ mei pepererunt, nec ego excolui  
 satis.

AD OCTAVIUM RODULFIUM  
 I. V. C.

Quæ dedit illustres olim tibi Flora Parentes,  
 Illa sibi laudes vindicat una tuas.  
 Ipsa etiam, variis animum quæ dotibus auxit,  
 Participat laudes urbs Perusina tuas.  
 Quin etiam Roma alma suum te poscit alumnum,  
 Maternoq; optat sola fovere sinu.  
 Hæc tibi cum magno laus est communis Homero,  
 Sed tua major erit; fata quod ante venit.

DE EODEM.

Flos est ex Flora, Romanis ortus in hortis,  
 Inq; solo cultus, Gens Perusina, tuo.

Hunc



Hunc velut auratum repetunt tria numina pomū,  
 Certatura iterum, Juno, Minerva, Venus.  
 Aurea divitias Juno, Venus aurea formam,  
 Objicit æternas aurea Pallas opes.  
 Et sibi quæq; suum dum poscit Diva Rodulfum  
 Tales dat placido Juppiter ore sonos.  
 Sit cunctarum unus, servet tria dona Dearum,  
 Et ferat à magno munera quarta Jove.

*His addo tertium, quod modo inter scriben-  
 dum ad me attulit honestissimus adolescens, quo  
 ego vetere alumno in primis glorior, vos intimo  
 amico, & studiorum socio delectamini, Federi-  
 cus Cavacepius.*

AD OCTAVIUM RODULFIUM  
 I. V. C.

Quas Augusta tibi leges & jura, Rodulfi,  
 Et quæ dat capiti laurea ferta tuo;  
 Non donat: vult illa suo sibi tempore reddi;  
 Cùm tua purpureus tempora cinget honos.  
 Tale decus non sola tibi tuâ destinat ingens  
 Virtus, sed gentis gloria prisca tuæ.

*Vale, clarus atq; illustris, De Campo: cujus  
 cognomini gratulor, quòd pariter antiquum sit,  
 & novas admittat laudes. Quis est enim inge-  
 nio sic exiguo, sic angusto, ut in tanto, & tam  
 fertili campo non inveniat excurrendi fa-  
 cultatem? Ex Collegio S. Bernardi. Id.  
 Octob. 1602.*

PARS





## PARS QUARTA.

M. ANT. BONCIARIUS  
PROSPERO PODIANO.

**S**Tatueram, in epistola superiore modum edendi facere, & finieram hunc mihi limitem in illo campo; dolebam etiam, excurrisse me longius, quam initio fuit propositum. Sed vicit, Podiane humanissime, contentio tua consilium meum: jussisti, ad iocae facietiasq; communium litterarum, has adungere magis seria, minus vulgata; ut frondes floresq; verborum, continue rerum fruges sequerentur, & castigaret varietas satietatem. Nec ego debui aut potui non parere homini amicissimo, quem mihi, quotidie suppeditantem libros, foventemq; meos conatus, in patria illustranda; non modo adiutorem, sed propè altorem, atq; educatorem studiorū meorum, soleo appellare. Quae si abesset scribendi causa, vererer aliquantulum, ne circulatores saliscamnos imitatus viderer, qui lepidis fabellis, & suavis cantilenis, populo empto, suas illi ad ultimum merces vendunt. Nisi hoc tamen interest, quod haec sapius adulterina, fucata, mendaces sunt: nostra autem

tene



tem vera, germana, simplices. Quae cum spectent maxime ad rem Grammaticam, dicerem, parvè esse pretii, nisi me S. Hieronymus docuisset, Parva non esse, sine quibus magna non constant. Vale.

## EXCUSATIO

Non confutatae Apologiae.

AD HIERONYMUM ABBATEM  
SIGNORELLUM, ROMAM.

**F**requenter atq; instanter me rogas, Signorelle vir nobilissime, ut respondeam aliquid ad Apologiam hominis eruditi, qua descripta pluribus exemplis adversum me circumfertur, & palam in triviis lectitatur, non sine assensu vel ignorantium, qui nos amant, vel scientium, qui non amant. Quae tamen res adeò me non movent, ut sit mihi contentio tua, quam illius obtre-ctatio, penè molestior. Audi verò, qua me causa ab ista concertatione deterreant, & desine tandem, honoris mei gratia esse sollicitus. Sunt mihi quiescendi potius, quam rixandi cause tres: Natura pacis amans, & insolens litigandi: Rationes admodum ineptae ac frivole, quibus urgeor: & Personae haudquaquam graves, quae in me petulantanter incurrunt. De natura sum egomet mihi conscius, & est amicis etiam satis perspicuum, atq; in primis tibi, quem scio non esse oblitum, quid responderim amicis à me contendentibus,



in subsidio venire misellis Grammaticis, à me  
 in scholam revocatis, qui per ludibrium a Pro-  
 zodidascais in scenam producti, conviciis one-  
 rati, & fustibus contusi, meam parentis opem im-  
 plorare videbantur. At ego nihil commotus,  
 Recte, inquam, vapulasti Guarine a pueris, per  
 quem pueri toties vapularunt. Neq; secuta sunt  
 facta verbis dissimilia: nam ut planè ostenderem  
 id mihi molestum non fuisse, & eam me non in-  
 juriam putare, sed jocum atque urbanitatem;  
 totam illam fabulam heroico carmine comple-  
 xus sum, & hoc anno in solempni celebritate, ad  
 magnos Principes, in Collegio nostro reddend-  
 am curavi. Quid hoc alterum? parum me-  
 mor, & parum gratus auditor meus; tenuissima  
 suspicione adductus, cum me omnibus probris  
 incesset, & nullum maledicendi faceret mo-  
 dum; prius omnes amicos ab se alienavit, quam  
 me. Igitur die quodam in conventu nobilium a-  
 micorum, orta mentione de illius obstinata dica-  
 citate, petulantiaq; adversum me: cum ego illum,  
 ut semper feceram, excusarem laudaremq;: non  
 tulit optimus ac vetustissimus inter amicos, &  
 Prò, inquit, fidè deum atq; hominū! hic te omni-  
 bus locis vituperat, tu illum omnibus locis com-  
 mendas. Tum ego subridens, Et iste, inquam, vi-  
 tuperando, & ego commendando, ambo menda-  
 ces fuimus. Hac de natura. Sequuntur frivola,  
 sed obfona & absurda rationum: quas, quoniam



*Si me urges, proponam atque refellam paucis.*  
 Questio est de pronuntiatione duarum vocum,  
 Amaverimus Amaveritis: in quibus penulti-  
 mam inter loquendum ego corripio, ille produ-  
 cit. Et quoniam testimonia poetarum propè pa-  
 ria sunt in utramq; partem, syllaba in poetis  
 haud dubie cõmunis est, in soluta oratione am-  
 bigua relinquitur. *Mihi brevitatis magis placeo*  
*propter rationem, & propter consuetudinem.*  
*Audi breviter de utraq;.* Qui precipiunt de a-  
 nalogia, & de personis verborum, aliis aliunde  
 formandis; hanc habent generalem regulam,  
 omnium consensione probatam, ut a prima per-  
 sona singulari, tres quasi filias nasci velint, id est  
 secundam, & tertiam singularem, & ultimam  
 pluralem: a secunda verò singulari, duas plura-  
 les, primam & secundam: exempli causa, *Lego*  
*est quasi pater familias; legis, legit, legunt, quasi*  
*ab illo geniti filii, mutata extrema littera in is, is*  
*it, in unt: legis vero duos patri nepotes creat, le-*  
*gimus, legitis, interposita syllaba hicti, illic m.*  
*Nunc ego talem instituo argumentationē. Quo*  
*personae nascuntur ab, is, natura brevi, breves*  
*sunt; quae ab, is, natura longo, longa, sunt hæc*  
*vulgaria pro exemplis, Lego legis, Audio au-*  
*dis: in quorum primo, i, brevis est, ideoq; plurales*  
*creat breves, ut Legimus legitis: con-*  
*trà in secundo, i, longa est, ideoq; plurales*  
*creat longas, ut Audimus auditis. Nunc ad*  
*rem;*

rem;



rem: in futuro & praterito subjunctivi, *Lege-  
ris, Audiveris*, i, ultima brevis est per naturam:  
ergo penultima in, *Legerimus audiverimus, Le-  
geritis audiveritis*, brevis est. Usus verò nobi-  
liorum nostræ memoriæ Oratorum, imò etiam  
professorum artium maximarum, Roma, Pata-  
vii, Bononia, & in reliquis Italiae gymnasiis, o-  
mnino à nobis est. hoc ego & antea per me scie-  
ram, & hodie certius didici ex iis, qui proxime  
audierunt. Accedit usus & consuetudo Jesuita-  
rum, quos ego cum diligentius hac de re percon-  
tarer, hoc scivi amplius, non modò in Italia, sed  
in Germania, in Flandria, in Hispania penes se  
retineri, quam nos docuimus rationem pronun-  
ciandi. Veniunt tamen, inquiunt, è Lusitania  
interdum aliqui in Italiam, qui eam syllabam,  
tam in praterito, quam in futuro pronunciant  
longam: sed nostrorum consuetudine animad-  
versa, dediscunt facile morem suum, & imbi-  
bunt nostrum: ita scilicet suadente Alvaro, il-  
lo clarissimo Grammaticorum, qui licet patria  
Lusitanus, tamen de illis vocibus ita precipit:  
Regionum inquit, consuetudo servetur ne ab a-  
liis rideamur.

Quid ad hæc Aristarchi? De usu propemo-  
dum confitentur; sed abusum, & corruptelam  
vocant: auctoritate, & ratione pugnandum cen-  
sent, auctoritatem verò habent à se vulgatam il-  
lam



*lam atque communem Servii Grammatici, ad Virgilianum versum lib. 6. Aeneidos.*

Namq; ut supremam, media inter gaudia, noctem Egerimus, nosti: & nimium meminisse necesse est. Ubi Servius, Ri, inquit, metri necessitate corripuit. Quibus ex verbis aperte colligi videtur, Servii tempore, hoc est, ante annos amplius septingentos, eam syllabam inter loquendum produci solere. Rationem vero hanc afferunt, ex sua jactatione, firmissimam, qua quidem una opera sperant, se comprobasse suam sententiam, & subvertisse rationem meam. Deducatur, inquiunt, Amaverimus Amaveritis, à secunda singulari, Amaveris: certe oportet deduci hoc modo, ut, s, finale commutetur, in mus, in tis: nunc ita, inquiunt, argumentamur. Move primum, s litteram ex Amaveris: relinquetur Amaveri: sed, i, longa est: ergo additis in fine, mus & tis, longa fiunt Amaverimus Amaveritis. Quod autem, i, longa sit in Amaveri; probatur duplici via; primum ex canone Grammaticorum, qui dicunt, i finale produci; deinde per hoc exemplum: In voce militis, ultimam i, corripitur, sed remoto, s, producitur, ut militi. Accipe quam brevissime ad utrumq;

Servii auctoritatem non contemno, sed oppono illi Diomedem, qui disertè scribit, Ri syllabam in præterito esse brevem: illud autem Virgilianum, Egerimus, si rectè inspicias, præteriti est temporis.



ris. Accedit contra Servium, quod observavit Emmanuel, in nullis poëtarum exemplis reperi-ri prateritum longum: futura enim modo bre-  
via apud illos sunt, modo longa: prateritum sem-  
per est breve. Accedit amplius, quod non solum Virgilius, sed etiam Ovidius, & Lucretius, & alii sunt usi eodem modo, quorum ego habeo te-  
stimonia, & nisi proximè ad meos adversarios per Gratianum, & Serasimum nostros. Qua-  
si Servius non legerat, mirum est: magis mi-  
rum, si cum legisset, illos etiam excusavit ea-  
dem via, per metri necessitatem: quam ratio-  
nem nos etiam possumus usurpare in contra-  
rium, ad eos excusandos, qui produxerunt, En-  
nium, Catullum, alios. Quod si tantum Servio  
tribuunt, aliisque Grammaticis, in ratione pro-  
nunciandi; ut ab illorum placitis discedere non  
audeant: miror, si non haec etiam ita pronun-  
ciant, ut illi jubent, acuta videlicet ante penulti-  
ma, Déinde, Próinde, Dúntaxat, Intereáloci,  
Exáversum, & hujus generis magnam tur-  
bam. De quibus adhuc modum enunciandis,  
non unus Servius, sed etiam Donatus & Pro-  
bus, & alii antiquiores nobilioresque magno con-  
sensu praeceperunt: nec tamen desunt inter eos,  
qui longè aliter sentiant. Sed in lingua latina  
quatenus istis credendum sit; alio loco subtilius  
& uberius disputatum à nobis est.

Accedamus ergo ad rationem, quae probat,  
longa



longa esse, rimus & ritis per analogiam hoc modo: Ducuntur, inquit, a secunda persona numeri singularis, ex qua demptum, s, relinquit in fine, i longum, ut Amaveri: adde modo finales syllabas, mus, & tis; longa feceris, Amaverimus amaveritis. Quæ si ratio vera est, quid impedit, quò minus ad hoc exemplum derivemus alia consimilia? Lego legis, Sperno spernis: tollatur, s, fiet, legi sperni: dicemus igitur in plurali, legimus legitis. spernimus spernitis, & alia consimiliter. O præclaram atq; argutam analogiam! præ qua meras nugas dixerim fuisse, quas Caesar, aut Varro, aut Nigidius tradiderunt. Verùm age doceamus illos, quemadmodum se res habeat; & quando cum magistris, puerilia nescientibus, agendum est; ne gravemur, eorum causa repuerascere. In Amaveri (quando ita deducitis) ultima syllaba tam brevis est, quàm in Amaveris; etiam fortasse brevior: quia consonantes, ut adjecta longitudinem, sic detracta brevitatem potius creant. Audite exemplum maxime perspicuum: Vox, Omnibus, haud dubie corripit ultimam: si elidatur, s, ut olim fieri consueverat, nihilo minus corripit, licet, u, per Grammaticos, in fine dictionum omnium producat. Lucretius lib. i.

Nam si de nihilo fierent: ex omnibu' rebus &c.  
Item alibi sapius. Etiam Ennius in epitaphio, à se composito:

Z

Ne



Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu

Faxit: Cur? volito vivu' per ora virum.

*Vestra verò probatio ridicula est: quia si, Militis, habet ultimam brevem, Militi, longam; hoc ideo fit, quia ille genitivus est, hic dativus: nam genitivus, Militi, factus per elisionem, ut omnibu tam brevis est, quam genitivus integer, Militis. Excuso autem vos, quod propter ignorantiam dialectices, non potuistis animadvertere, in ista ratiocinatione latentem dolum. Ergo si, Amaveris, ultimam corripit, & Amaveri, magis corripit; probatur per vestram regulam, non solum per meam, Amavetimus Amaveritis, brevia esse oportere, tam in praterito, quam in futuro.*

*Fam vide obsecro te, Signorelle humanissime, quid mihi nuper acciderit per occasionem huius quaestionis, cum sanè non ignobili Grammatico de nostratibus. Hic Diomedeam secutus heresim, de praterito corripiendo, & de futuro producendo; suos pueros docebat pronunciare, rimus & ritis, longa non solum in futuro conjunctivi, sed etiam in futuro indicativi. Hos ego clamantes audiebam non sine risu Erimus eritis, Poterimus poteritis, Proderimus proderitis. Cūq; ex illo quererē, Ecquid meminisset, magistrum suum Diomedem ita precipere, ut rimus & ritis, duntaxat in futuro conjunctivi producerentur. Memini, inquit, & scio, sed rogo invicem*



te, Amatus ero vel fuero, cuius tandem est Modi? Non dubito, inquam, quin subiectivi sit: ita enim Grammatici omnes docent. Tum ille, Quo modo, inquit, pronunciabis ex precepto Diomedis primam & secundam plurales? Amati erimus, amati eritis? Hasi percussus inopinata interrogatione, nec habui, quid responderem aliud, quam, mihi sententiam Diomedis, & plane omnium, qui producerent, non placere: quibus autem placeret, eos non posse effugere, quin fateantur, ita se rem habere, ut ille crederet, probaretq; ; nisi forte rem absurdissimam loquantur, illa Erimus eritis, brevia esse, cum pertinent ad indicativum; longa, cum ad subiectivum. Audi vero, inquit, hoc amplius: Ero, non est futurum proprium indicativi, sed conjunctivi: nam Fuero, adventitium est à Fuo verbo prisco, & abolito, non à Sum: & quemadmodum, Meminero commune est indicativi & subiectivi; ita fuit olim futurum, Ero, quod tamen ideò translatum est ad indicativum, quia in subiectivo suffectum est illi fuero. Prope erat, ut mihi persuaderet, cum è scrinio protulit vetustum quendam Grammaticum, quem ille dicebat Prisciano antiquiorem fuisse, qui disertè illam sententiam exponebat, & verbis longè pluribus confirmabat. Nec credidi ego tamen, aut credo nugas: sed ideo scribo, ut que monstra orientur ex depravata opinione, clarius certiusq; agnoscas.

Z. 3

Sequi-



Sequitur ex tribus, initio propositis, caput ul-  
 timum, de persona contradicentium. In quo non  
 faciam, ut regeram ea, quæ in me aut palam, aut  
 occulte jactantur. Dicam tantummodo, id quod  
 ipsi ut acrius ferre non debent, quia turpe non est,  
 ita refellere non possunt, quia verum est. Magi-  
 stri sunt puerilium studiorum Typherni, Burgi,  
 Fractæ, Montoni, ceterisque in oppidis, aut castel-  
 lis, non ignobilibus illis quidem, & parum lau-  
 tis, imò pro sua paucitate ac mole urbium, cla-  
 ris potius, & eruditis; nequaquam tamen (ut  
 ego arbitror, & negaturos eosdem ipsos non pu-  
 to) cū Perusinis, aut Gymnasio publico omnium,  
 aut Collegio tantum nobilium, conferendis:  
 nam præter eos, qui ex longinquis Italiae regio-  
 nibus, & oppidis longè clarissimis, ad hanc vel  
 communem Academiam, vel privatam Socie-  
 tatem indies confluunt, penes hos ipsos puerilium  
 litterarum magistros, si qui sunt indole meliore,  
 jactis in patria rei Grammaticæ fundamentis,  
 huc transmittuntur, ad extruendum exornan-  
 dumq; hoc, quasi ædificium litterarium. Nunc  
 ut dicam etiam de me, quod redargui non pos-  
 sit, quia certum; & ambitiosum non sit, quia  
 publicum: cū ego in utraque palastra multos  
 annos meruerim, & juventuti dux fuerim ad  
 Eloquentiam, ceterasq; humaniores disciplinas:  
 perspicuum est, quam iniqua conditione ad cer-  
 tandum cum illis veniam: quos sive vincio, si-  
 ve non

ve non



*ve non vinco ; nulla gloria, magna infamia mihi proposita esse videatur. Vale. Ac nisi fortè subarrogans videbor apud Illustrissimum Cæsium, S. R. E. Cardinalem, qui te merito amat, & magni æstimat, pone me in gratiam. Ex Collegio S. Bernardi, Perusia.*

DE PIO POEMATE JUDICIUM AD JACOBUM SENSIIUM  
I. C.

**D**E amici tui poematis, quòd iudicium exquiris meum; paucis accipe. Argumentum & quia Christianum est, & quia varium, & quia nobile; mihi majorem in modum placet: is vero legitimus & germanus rei poëtica usus est, Sensus cum sive ad Deum imperatorem ducemq; omnium sive ad fortes ejusdem milites celebrandos, confertur: neque quisquam à recta ratione aberrat longius, quam qui rem sacram, ipsius inventum Dei, ad fabulas ineptiasq; convertit: nam illi non solum inepti, sed etiam planè sacrilegi mihi videntur, qui, quam facultatem a Deo acceperunt, ad divinas laudes predicandas, ea turpiter ad libidines, impudicitiasq; abutuntur; preposterii homines, qui Christianum professi, pro diabolo militant. Quod nõ dissimile est, atq; si quis, acceptum ab Imperatore, honoris causa, gladium ad hostes persequendos; vel in se ipsum, vel in ipsius, qui dedit, caput stringeret. Quare iterum



dico, placet hoc mihi argumentum Christiane  
 lyre, supra quam dici, aut scribi potest. Sequitur  
 ordo & dispositio rerum, quae nimirum apta &  
 concinna est. In primis illud mihi probatur ini-  
 tium a Cruce Domini: Martyres vero legit in-  
 signiores, nobilioresq;: cantat saepe mutatis fidi-  
 bus: interdum & tuba intonat, ad lectores iden-  
 tidem exciandos, aut relevandos: illa vero ad-  
 mirabiles, & claudendo poemati per apposita in  
 Gallos, in Flandros, in Anglos Odae acuta, fortes,  
 graves; adjecta caelestis praemii perquam lepida  
 narratione. Tertia est artificii poetici pars, Elo-  
 cutio, non solum maxima, & potissima, sed etiam  
 difficillima, & longè periculosa: quippe de Ar-  
 gumento, & de Ordine, quem tibi sumpseris ad  
 explicandum, semel duntaxat iudicium fit a le-  
 ctoribus; habentq; illa duo non paucas ad se tu-  
 endum vias, atq; suffugia: at Elocutio in singu-  
 lis non dico Grammaticis, sed versibus, ac voculis  
 expenditur, & quoties aliquid erudite aures pro-  
 bant, aut non probant; toties de scriptoris inge-  
 nio iudicatur. Ejus vero cum duae sint partes,  
 quarum altera potius ad iudicium, altera potius  
 ad artem spectat; habeo quae desiderem in utra-  
 que, in altera tamen pluscula: quae quidem, ut  
 ego soleo, & tu imperas, & tuus rogat; exponam  
 libere. Igitur, ad priorem quod attinet, in com-  
 positione structuraq; ipsa, nescio quo modo equa-  
 bilitatem sermonis interdum vix agnosco, ut  
 primis,



*primis, inquam, media, & mediis extrema re-  
spondeant, & omnia unum quasi stylum & cha-  
racterem dicendi perpetuò teneant, quod ego ta-  
men non perinde litteris explicare possum, atq;  
tibi presenti ostēderem, atq; egomet cogitans sen-  
tio. Esto illud pro exemplo, quod Corregio rele-  
genti primum in oculos incurrit pag. 57. ad S.  
Priscam.*

*Prisca decus patriæ, Romanæ gloria gentis,  
Æterna intactæ fama pudicitæ.*

*Vides quantam præ se ferat ingrediens gravita-  
tem: vide, quam impingat, & penè corruat inter-  
eundum.*

*Quascunq; ad pœnas ducas, evadit ubiq;  
Incolumis, veluti non moritura foret.*

*His similia occurrent legentibus aliquam multa,  
quæ mihi satis superq; esse debuit indicasse, si for-  
tè eodem modo ceteros afficerent, quò aures sub-  
offendunt meas. At at lege hoc alterum, in quod  
fortuito idem incidit Anagnostes. pag. 56. ad S.  
Blandinam.*

*Hic reti inclusa (malim rete) objicitur laceranda  
Blandina tauri cornibus. (furentis*

*Nunquam vel gemitum trepido de pectore fudit,  
Qui mos inhæret fæminis.*

*Nimis vile, nimis vulgare. Confer hoc Horatia-  
num in re non dissimili, de Cleopatra, libro 1.  
Ode 37.*

————— Quæ generosius  
Perire quærens, nec muliebriter

ꝫ ꝫ

Expavit



Expavit enses —————

Deliberata morte ferocior.

*Verum hæc ejusmodi sunt, ut arte tradi vix aut ne vix quidem posse videantur, & ferè omnia scribentis judicio relinquenda sunt: quæ verò propius ad artem spectant, & judicium admittunt facilius, ea quemadmodum in transcurso se obtulerunt, breviter in unum cogam, & infra scribam.*

Pag. 29. De S. Joanne.

Longævus Christi miles, qui proxima læthi  
Nuncia prospiciens.

*Nuncium neutro genere, apud nullos Latinos legitur: nam quæ in Lexicis exempla sunt ex Catullo, Propertio, Lucretio, vel aliena sunt, vel contra eos faciunt, qui attulerunt. Nuncius genere masculino, æqualiter significat, id quod nunciatur, & eum qui nunciat. Lege commentarium Mureti, ad Oden Catullianam, de Bercynthia, & Notas in Propertium, ad Elegiam tertiam libri secundi.*

Pag. 36. De S. Bartholomæo.

Adde Urbes geminas: sed deficit unus.  
*Mutilus est scribentis vitio versus; & se ipse accusare videtur. Deficit unus, nempe pes.*

Pag. 39. De S. Simone & Thadæo.

Nempe Deum, quem qui possidet, omne tenet.  
*Omne, pro omne bonum, sive pro omnem rem, durum est & inusitatum: aptior ei rei numerus*  
multi.



multitudinis, cuncta, omnia, universa: porro omne, numero singulari, adjectivum semper est, nunquam substantivum. Redit hoc loco in mentem, quod sæpè audio gloriantes aliquos inter disputandum, Qui, inquiunt, habet Scotum, habet totum, totum autem substantivè accipiunt pro, Quicquid subtile, aut eximium in Theologicis haberi potest: neq; advertunt, ob imperitiam latinitatis, non gigni talem sententiam ex talibus verbis: sed aliam longè diversam: hoc enim imprudentes dicunt, Qui Scotum habeat, eum omnes habere Scoti libros. Quod & falsum est, & à proposito alienum.

Pag. 44.

Et proprium rapido suffocat amne caput,  
Suffoco, mediam producit. Ovid. in Ibin:  
Suffocent animam dira venena tuam.

Pag. 57.

Aggressus temerè pendis pro crimine pœnas.  
In, temerè, ultimam corripit Seneca, & ratio ita suadet, quando à nullo nomine adjectivo deducitur: sic ip, facile, quod est ab adjectivis tertiæ declinationis, ut Dulce, triste, &c. Preceptor tamen meus, cui ego plurimum tribuo, producit, in carmine puerili ad Muretum fratris F.

Iraisci noli temerè: nil fœdius ira,

Pag. 62. De S. Niceta.

Negata & hinc & inde fuga.

Tri-



*Tribrachus in sede ultima diametri jambici, contra usum est, licet non contra regulam. Sed facilis est emendatio.*

*Negata & inde & hinc fuga.*

*Pag. 69.*

*Et cum dulce mero, dulcia carpitis fercula.*

*Negant eruditi, recte precipere Grammaticos, sive antiquos, sive recentes, in adjectivis tertia, qua per duas voces inclinantur, ablativum esse per, e, vel per, i, Omne vel omni, cum sit tantum per, i, Dulci, utili, nobili,*

*Habes iudicium meum adeo liberum, Sibi humanissime, ut hos videam audire querentes Martyres, quod ad tyrannorum atrocitatem, mea insuper accesserit importuna styli crudelitas: id si aut amico tuo videbitur, aut tibi, en de utriq; per commodam vestri ulciscendi, & mei referendi facultatem: meos obijicio telis liberos, & hunc maxime, qui minime est ad repellendum idoneus, recens natum Hieropylum, quem vostamen quanto asperius accipietis, tanto ego existimabo, & mecum & cum illo esse actum felicium. Vale. Ex Collegio Augusto S. Bernardi. 1602.*

### E I D E M.

**E***Xplicata sententia, complicabam epistolam, cum allatus est nuncius de Messanensi honestissima conditione, tibi decreta. Non dico illud, quod in talibus vulgo solent, delectatum esse*

*me*



me tua causa, sed contristatum mea: quasi bene  
 verterit tibi, quem virtus vocat; mihi verò ma-  
 le ceciderit, qui te caream: nam potius, contra  
 reputando, persuasi mihi, rem utriq<sup>3</sup> optabilem,  
 & gratulatione dignam contigisse. Propterea  
 quod cum amplissimi Gymnasiarchæ talem qua-  
 rerent juris interpretem, qui cum egregia scien-  
 tia, vim æqualem dicendi conjunctam haberet:  
 etiam atq<sup>3</sup> etiam gaudere debeo, te potissimum  
 esse delectum, qui quidem ut Jus Civile ab aliis,  
 certè latinæ græcæq<sup>3</sup> litteras à nobis habes: &  
 tuarum laudum non exiguam partem ad nos  
 etiam redundare oportet, formatores, instituto-  
 resq<sup>3</sup> adolescentiæ tuæ. Accedit, quod illo versus  
 profecto dudum Francisco Ubaldo, vetere ipso  
 etiam alumno meo, cujus desiderium vix fere-  
 bam; non potui efficacius consolari de utroque,  
 quam si alter altero frueremini, & scirem, me u-  
 triq<sup>3</sup> in pectore, in ore, in calamo frequentem fo-  
 re. Fac valeas.

---

JO. BAPTISTÆ MANNELLO,  
 TAURINUM.

**T**ardi nimium effecti sunt tabellarii vestri,  
 quas litteras media æstate à te acceperant,  
 eas mihi post brumam reddiderunt. Quod ideo  
 prescribendum existimaui, ne me tam diu dis-  
 tulisse responsum putes, & negligentius exequu-  
 tum esse, quod scripseras. Unam sint in relegen-  
 do ite.



do itinere celeriores, quò te minus diu angat suspitio, vel omisso officii, vel dilati. De singulari tuorum progressu Fratrum, in studio humanitatis, certiozem dare testem non queo, quam latinas amborum litteras; quas uterq; suo Marte confecit, mea opera nihil adhibita, praterquam ad audiendum: itaq; prestabo facile, quantum ille tibi sponderint. Per eosdem curavi describenda tibi epigrammata, que tantoperè a me flagitas, ab auditoribus olim meis festinata, cum Alfonso Estensis, Princeps tuus, in nostra patria, Magnus Prior, & Magnus Doctor est renunciatus. Vale. Perusia, 10. Cal. Jan. 1602.

AD ILLUSTR. ATQ. EXCELL.  
MARCHIONEM ALFONSUM  
ESTENSEM.

CUR doctam veteres sic effinxere Minervam,  
Ut manus una libros, altera telo getat?  
Palladiis nemo decorandus honoribus; ambo  
Qui prestare unus non queat, arma, libros.  
Ergo, Alfonse, duplex merito te laurea cingit,  
Qui geris & libros, & geris arma manu.

AD EUNDEM.

DUM gentile decus fortes ad sidera fratres,  
Per lævi Martis munera, ferre parant:  
Parta alia doctam præfers, Alfonse, Minervam,  
Et juncta ire sacris legibus arma jubes.  
Pauca loquor: tu pacem unus bellumq; capeffis,  
Et decoras duplici nobilitate genus,

DE



## DE EODEM.

ARMATA est Pallas, dicta est Sapiencia Pallas,  
Esse cupis sapiens? Arma togatus habe.

## AD EUNDEM.

INCLYTUS eloquio solùm, solùm inclytus armis,  
Æquales laudes, ille vel ille, ferunt.

Tu felix Alfonse: decus qui jungis utrumq; ;  
Gloria cui belli par datur, atq; togæ.

## AD EUNDEM ANAGRAMMA.

ALFONSUS ESTENSIS.

ALES, ENSIS, FONS EST.

ALES in excelfo defigit lumina sole.

ENSIS justitiæ symbola certa refert.

FONS EST, quem junctæ Charites, doctæq; Sorores  
Non dubitent, undis antetulisse suis.

## AD EUNDEM.

Horrida te, Princeps, quondam Jovis Ales in arma  
Truferat, & sævo cinxerat ense latus.

Nunc mites patrio rapuere à flumine Cycni,  
Atq; in Pieriote statuere choro.

Exarsit, rapuitq; iterum Regina volucrum,  
Et te supremo donat habere Jovi.

Hinc te Jure pari Martem Musasq; colentem,  
Jupiter æternis destinat imperiis.

## JACOBO VICTORIO

R E A T E.

**N**on nova est mihi questio, de qua scribis,  
amatissime Victori: multi ante posuerant,  
& proximè Frenfanellus auditor meus legerat  
mihi, scriptas ad se litteras à viro erudito (nomen

non



non dixit) quibus prope idem à me querebatur, quod tu hodie quaeris, Ecqua causa me adduxerit ad precipiendum, ut cum verbo passivo, Doceor, absente nominativo animato, jungatur alter non animatus. IN verbis, inquam, transitivis, ex activo in passivum transferendis, accusativus rei animata migrat in nominativum: ut, Docuite Græcas litteras: Tu doctuses à me Græcas litteras. Si verò accusativus personæ defuerit, in ejus locum succedit accusativus rei, etiam non animata: ut, Magistri artes bonas docent: Bonas artes à Magistris docentur. Ex Guarino in Notis, ad regulam passivorum.

Turbat hoc loco vir eruditus, & partem canonis posteriorem ita non probat, ut hoc neget, latine dictum esse à nobis, Bonas artes à Magistris docentur. Quia, inquit, verbum passivum, doceor, necessario requirit nominativum rei animata, qui si forte defuerit, ex aliquo loco eruendus est, atq; supplendus hunc ferè in modum: Bonas artes à Magistris docentur discipuli, quidam, aliqui, homines, &c. Ejus verba hæc sunt, quæ infra scribam — Is patiens est, in quem reflectitur actus, cumq; non possit actus docendi in bonas artes reflecti, necesse est, ut aliquid subintelligatur animatum, &c. Nunc igitur ostendere me oportet, quemadmodum, re animata deficiente, substituatur aliud non animatum: quod probo duplici via, primo per verisimilem  
ratio.



rationem, secundo per veram certamq; auctori-  
tatem. Rationem duco a similitudine; quemad-  
modum enim, si duos habeam pueros, unum à  
cubiculo, alterum à triclinio, aut culina, cum il-  
le abest nobilior, succedit hic ignobilior, & utri-  
usque officio defungitur: ita, doceo, duos habeo  
quasi ministros accusativos, unum nobilem ani-  
ma peditum, alterum ignobilem anima caren-  
tem; & primo interdum absente, secundus evo-  
catur, qui officium illius faciat: neq; necesse est  
advocare homines, aut aliquos, aut nonnullos,  
aut quempiam de alienis, ad haec domestica, quae  
obire unus potest servorum familiarium. Cum  
dico igitur: Ego doceo te sermonem latinum:  
Tu & sermo servitis ambo, sed tua est servitus  
liberalior, qui cubiculum curas, illius autem sor-  
didior, qui stabulum aut culinam. Quare cum  
dominus aliquò versus iter facere velit, ut ex a-  
ctivo migrare in passivum; te famulum hone-  
stiorem, jubebo illi adistere, ac proximum ire;  
sermonem autem latinum arcebo longius, & in  
primis relinquam sordibus, hoc pacto: Tu doce-  
ris à me sermonem latinum. Quod si tu non ad-  
fueris, profectus fortè in barbariem; jubebo ac-  
cedere sermonem latinum, & domino ad latus  
herere, potiusquam huic officio preponantur ali-  
qui ex vulgo, aut vicinia. Dicam igitur, sermo  
latinus docetur à me.

Sed quoniam nullius momenti habetur ratio

Da

Gram-



Grammatici, quae non aliquo scriptorum veterum testimonio muniatur: age accedamus ad scribentium auctoritates, quibus doceatur haec successio rei non animata, in illius locum, quae habet animam. Et primum hos consideres velim locos Ovidianos, ex libro quarto Fastorum, in quorum altero, quia res patiens animata non deerat, verbum illi adjungit, copulatque ad hunc modum: — Pauca docendus eris. In altero, quia patiens animatum non aderat, substituitur illi non animatum, et adheret verbo passivo in casu nominandi, hoc pacto: — Causa docenda mihi est. Adde illud Manilianum: — Magna est ratio, breviterque docenda. Adde hoc Plinianum: — Tantus erat docenda oratoria questus. Accedat Fabius Quintilianus lib. 12. — Ut appareat, Oratorem non discendo tantum juri, sed docendo vacare. Accedat Macrobius lib. 2. Saturnaliu: — Edocto animae motu, Africanus in haec verba precipit, id est, Cum ab eo edoctus esset motus animae, pro Explicatus, aut probatus. Tityrus Virgilianus docebat silvas resonare formosam Amaryllida. Hic, silvas, accusativus est rei non animatae; tamen et patiens casus est, non ulterior, et si formula in passivum convertatur, necessario transit in nominativum hoc modo: Silvae à Tityro docebantur resonare Amaryllida. Item Varro agros docuit foecunditatem: Agri docti sunt à Varrone foecunditate. Rursus cape hoc,  
 a Ma.



à Manilione, an à Flacco? non enim memini satis: sed compertam habeo, esse alterutris: — Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Res ipsa, nominativus est patiens, licet animata non sit: quod si latine dicitur, Res est contenta doceri, Res vult doceri, Res docetur: non video, cur eodem modo dici non possit, Bonæ artes à Magistris docentur, aut doceri debent. Alia erant exempla in nostris Analectis, quæ nobis, hæc dictantibus, ad manum non fuere. Leges ipse cum à nos veneris, interea hæc fore putavi satis, ad nostram regulam confirmandam. Res enim hujusmodi copiosius atq; subtilius persequi, quam fortassis utile est, tam certe honestum non est. Verè Seneca: *Ista, inquit, speciosius sciuntur, quam docentur. Vale. Perusie.*

---

QUINCTILIO, ET BENEDICTO  
BARSIS, IGUVIUM.

**V**Ita S. Constantii, gentilis vestri, & civis mei; vix est credibile, quantam meo poemati gravitatem, & quale ornamentum sit allatura. Perlegi, & excerpfi, quæ mihi erant opus: libellum dedi Cornibus Gabrieliis, ad vos referendum: serius omnino quam promisi, quam debui, quam potui; sed tarditatem meam vestra excusat tarditas: vestri nuncii, vestra littera me fefellerunt, quæ crebras expectationes, maturi ad nos rediit, commovebant: cum enim vos

da a

adven-



*adventare putaremus, repente à medio autumno in post brumã rejecti sumus. Non igitur equum est, cui te ipsum ad diem dictam non restitueris; ei succensere, qui tibi aliquid serò reddat. Valente. Perusia.*

D. SIMEONI PURACCIO,  
CAMALDULENSIUM PRÆFECTO  
Generali, Avunculo meo.

FLORENTIAM.

**J**am diu cupio, Pater reverendissime, meam in te singularem observantiam aliquo argumento testatam facere. In quam rem cum anno superiore totus incumberem, tibiq; ex mea tenui suppellectili concinnarem munusculum, quod, pro tua humanitate benevolentiaq; erga me, putabam tibi neq; inscitum, neq; illepidum visum iri: ecce tibi immaturus, inopinatus, & mihi perpetuò dolendus obitus Marii, fratris né dicam, an filii mei? possum sanè utrunq;: nam & fratrem me appellabat, & ut parentem reverebatur. Postea verò quam ad meas miseras, etiam cecitatis malum accessit; commutata persona, ille me ut filium curabat, ego illi, ut patri, dicto audiens eram. Quid quod tantos in vera virtute progressus fecerat, ut mihi ad omnem religionem & pietatem exemplo esse posset? Jam illud mitto, quod Petrus Paulus Bonciarius, egregius utriusq; juris interpres, cum Theate in Brut-



tiis pro Archiepiscopo multos annos furi dicun-  
do profuisset, magna parta integritatis, consilii,  
atq; doctrina gloria, per eosdem dies decesserat.  
Quae jactura licet haud dubie gravior censeretur  
debeat, quod eò potissimum domus nostra niti  
videbatur: tamen quia non precipue ad me u-  
num attinet, sed omnes nostros complexa est; eo  
fit, ut quasi in multos diffusa & dissipata cala-  
mitas, non me afficiat, neq; deatq; supra ceteros,  
neq; tantum sensum doloris faciat. Illud me mul-  
tò magis angit atq; sollicitat, quò spes & fortuna  
mea funditus perierunt. Sed non faciam, ut meis  
vulneribus, alieno loco ac tempore, manus af-  
feram: quae tametsi non mitigantur vetustate,  
tamen acerbiora sunt retractando. Is igitur, ut  
coeperam dicere, adolescens prae properè mihi sub-  
latus, unà cum ceteris utilitatibus, quas ex eo in  
omni vitæ genere sed potissimum in re litteraria  
capiebam, eam quoq; facultatem mihi eripuit,  
quam propè spe devoraveram, tui munerandi,  
& voluntatis probandae meae. Quamobrem dum  
ex tanta conflictatione animum recolligo, & fa-  
vente divina benignitate, ad Musas redeo: ac-  
cipe pignus fidei, & observantiae testem nostra,  
Marianam Orationem, de S. Nicolai laudi-  
bus, quam ille vivens tibi destinaverat, & in-  
scripserat, quo die nuncius a te venerat, de credi-  
to tibi munere honestissimo gubernandae, ac mo-  
derandae Sodalitatis: quam quidem amplissi-



nam dignitatem, ut tu administrabis sapienter, sic opto tibi evenire feliciter. Vale. Pater meus multam tibi prosperitatem atq; salutē nunciat.

COMITI JOANNI  
ANGUISSOLÆ.

**O** Praeclaram, qua es usus, rationem (Anguissola Comes clarissime) ad eliciendum de Musis tuis iudicium meum! Tollis primum me honorificentissimis ad cælum verbis, tam leve argumentum, tam gravis laudator; deinde rogas, ut quid sentiam de Odis tuis, liberè pronunciem. Atqui fallax est via indagande veritatis per laudes Judicis: non expedit, eum tibi conciliare, a quo cupias verum audire: adimit laudatio libertatem judicandi, & veremur adversus eum dicere, qui liberalis erga nos fuerit: ut, his quidem in rebus, praoptanda sit inimici maligna obtrectatio, quam amici benigna correctio. Quare duplicem gratiam habeo tibi, humanissime adolescens, & quod me ad res tuas judicandas idoneum fore censueris, & quod ita censueris, ut etiam, objecti insigni laudatione, veris tamen sincerumq; iudicium essem laturus: nec fallam opinionem tuam. Ergo quam das ad Illustrissimum Legatū Etruscum Oden, ea mihi maiore in modum probatur: elegans est, concinna est: verba lecta, sonora, illustria: sententia non ex vulgo, sed supra communes vates, & summis pares.



pares. In primis venusta est allusio ad casum Ica-  
ri, quem tu scilicet metuere non debeas, tempe-  
rato solis ardore à fontibus Bevilaqueis. Cetera  
quoque jucundissima legentibus fore arbitror, iis  
vero longè jucundiora, quibus auditum sit de O-  
ratione, qua tu proximè gratulatus es Perusino  
populo reversum Principem. Quos autem de me  
canis versiculos ad Flacci lyram (pace dicam  
tua) exiguam, aut fortasse nullam meretur lau-  
dem: certè tam cedunt encomio magni Princi-  
pis, quàm ego Principi: nimis vulgare, nimis  
exile, nimis illaudabile argumentum, quod ele-  
gisti, totam vitiat laudationem. Quemadmo-  
dum enim, si me ad cenam invitasses, & pulla-  
stri, caput cena, insulsi, olidi, putres essent; haud  
possem dicere, cenatum mihi suaviter apud te:  
nec ulla quamvis exquisita condiendi artes, tale  
convivium redimerent; quia vitium esset (ut  
Philosophi dicitis) in substantia rei, non in ali-  
quo circa substantiam: ita quanquam ad me or-  
nandum usus es artificio singulari, & eximio  
quodam genere dicendi; tamen nihil, aut prope-  
modùm nihil efficere potuisti; quia repugnat arti-  
fici materia, & nisi amor excuset, quantùm addi-  
tur ad ingenium scribentis, tantùm, & eò amplius  
destrahatur de iudicio eligentis. Amo tamen, ut  
dixi, amorem tuum, qui unus tibi persuasit, non  
solum ut ea faceres mea causa, qua posses. sed co-  
uareris ea etiam, qua non posses. Vale. Illustrem



de Campo contubernalem tuum, volo etiam atq;  
etiam a me salvere. Ex Collegio S. Bernardi,  
Cal. Decembr. 1602.

COMITI HONORATO VI.  
CECOMITI, CASTILIONEM.

**E**Xcidisse tibi non arbitror, Honorate Illu-  
strissime, quo die ad spectandum ades nostras  
te contulisti, erantq; una nobiles Jureconsulti,  
Lucius Baldellius, & Jacobus Sensius, hoc mihi  
accidisse infortunium, non videnti. Sensius ex  
anteriore cubiculo meo, Vide, inquit, Bonciari,  
quantum hodie tibi honoris accedat: Comes Cla-  
rissimus Honoratus, novum inspecturus Colle-  
gium, te primum adit, & te salutat. Interea fit  
mihi propior Baldellius, quem jam pridem non  
videram jam pridem non audieram, cumq; of-  
ficiosius, quam soleret, voce paulum remissa, me  
appellasset: hunc credidi (stolidus & incogi-  
tans) esse illum Comitem, qui me petebat; ad  
eumq; conversus, reddidi homini ea verborum  
officia, quae in praesens mihi, nil tale opinanti aut  
expectanti occurrerunt. Sed me viri honestis-  
simi loquentem interpellarunt: egoq; improvise  
velut jaculo sauciatus, quasi cum ipsa mentis  
alacritate, linguam etiam perdidissem; vix tan-  
tum habui eris, ut dicerem, Non esse illud pri-  
mum, nec fore postremum cecitatis peccatum  
meae: dignam veniam fatuitatem, miseratione  
ferti-



fortunam. Et hæc questus obmutui. Nunquam crederes, ex illo die honoratissime Honorate, quantus animum mœror obsederit: quem cùm expellere non possem, decreessemq; ad te ire, petiturus a tua humanitate subsidium: non permisere imbres, occupationes, pedes viam carpere longiorem. Hodie verò feriatus à Musis, cùm ad te ire cœpisssem, cœlo algido, ac minante nives; ferè totum emenso spatium, nunciatur, te pridie hujus diei, cum Excellentissimo Marchione Corneo discessisse, rediturũ sequenti anno. Quare hanc statim ad te schedulam mittendam esse decrevi; qua meam vicẽ dupliciter fungeretur, primum in me ab illa rusticitate apud te vindicando, deinde in augurando felix tibi principium anni, quod ingredimur. Vale. Perusia.

ASCANIO CORNEO  
MARCHIONI CASTILIONEM.

**P**Arum mihi prosperè succedit principium anni sexcentesimo tertii. Exieram domo prope meridiem, ut te primum officii gratia salutarem, augurarerq; prasens prasenti felicem aditum, progressumq; ad initia hujus, & multorum consequentium annorum; deinde ut conferrem me ad Comitem Honoratum, quicum erat negotiorum mihi de quadam officii purgatione, ac professione officii mei: neq; me ab itinere faciundo, vel mea imbecillitas, vel cœli asperitas revoca-

A a 5

verat.



verat. Ardor animi, frigus corporis temperabat;  
 Et spes ipsa tecum celeriter congregandi, robur  
 pedibus, Et firmitudinem reliquis membris ad-  
 dere videbatur. Itaque satis strenue permensus  
 sum, quicquid interest viae Collegia nostro ad  
 Aedes tuas; sed in ipso propè vestibulo cum au-  
 diissem, heri te Castilionem esse profectum, incre-  
 dibilis mentem dolor invasit, Et vires corporis,  
 quae ab animo sustentabantur, animo deficiente,  
 ad languorem pristinum reciderunt. Duplicata  
 est animi cura, Et sollicitudo, cum paulo post co-  
 gnovi, comitem itineris tui fuisse Vicecomitem,  
 qui mihi secundo loco fuerat ad eundem. Quam-  
 obrem fessus de via, urgente gelu, Et vento relu-  
 ctante, vix egregie Montesperellorum clivo supe-  
 rato, perreptavi in Seminarium, quae ego meam  
 Urbanam domum soleo appellare: non injuria:  
 Collegium namque S. Bernardi, tam longo tra-  
 ctu recedens a foro, extra Urbem mihi videtur  
 situm, Et villa speciem praese ferre. Ibi ergo a-  
 pud lectissimum adolescentem, gentilem tuum,  
 Et disciplinae alumnium meae, Sfortiam Corneum  
 has dictavi epistolas, Et per eum isto versus  
 mittendas curavi, feliciores quam ego fui, fu-  
 turas nuncias, auguresque prosperitatis. Non enim  
 illis, ut mihi, via, ventus, frigus obstare pote-  
 runt, quo minus ad te transcurrant, Et tibi cum  
 initio anni, fortunatos rerum omnium eventus  
 a magno Numine comprecantur. Vale, Prin-  
 cepti



ceps excellentissime, clientemq<sup>3</sup>, parvulum illum quidem, sed magno animo præditum, & tibi toto pectore deditissimum fove orna, & patere tuum esse, tuum dici. Perusia ex Seminario. Cal. Jan. 1603.

Patronos meos Fulvium & Federicum, egregia præstantes indole, optimis moribus, insigni modestia, & (quo majus dicere nihil possum) te dignos patre, opto multum valere, plurimum discere: horum causa, peto ignoscas mihi, si feci epistolam longiorem.

---

THOMÆ MANCINO,  
ROMA M.

**M**erito amo Augustinum Angelellum, qui cum me propter cecitatem, aliaq<sup>3</sup> (ut vocantur) vitia corporis, infortunatum esse existimet; tale mihi optat solatium, quale ne oculatis quidem ac fortunatis esse potest majus, hominum multa laude præstantium, id est tui similiū benevolentia. In hoc autē minus amo, quòd cum sciret, mihi decretū esse ad te scribere, ubi primum absolutus hic Carminum liber foret, cujus hodie particulam mitto; auctor tibi scribendi fuit, nec me passus est antevertere: abstulit enim mihi, sua festinatione, illam officii laudem, cui toto animo inhiabam, testificandi maturis litteris amorem meū. Nam quod lateret te arbitraris, in tanto aut virtutum lumine coruscantius, aut oculorum acumine

acumine



acumine observantium, vehementer erras. Sol quoque aliam latendi viam non habet, nisi ut radios emittere desinat, quod non potest; aut in cecostantum emittat, quod non solet. Eam tu solitudinem neque consecutus es antehac, neque in posterum consequere. Splendor tuus, et aliena curiositas, istam tibi, ut vocas, quietem invident, et semper inuidebunt. Non longè abieris, imò etiam longè, si lubet. Anni sunt circiter septendecim, ut opinor, cum Illustriss. adolescens Julius Abbas de Ruvere, studiorum causa, Perusiam se contulit; mecumque toto triennio versatus est valde familiariter. Ex illo ego de tua excellentia, de probitate, de humanitate, de litteris ea sæpè audiebam, qua postea multorum sermones, multorum littere; et omnibus aut sermonibus, aut litteris potiora tua poemata confirmarunt. Vides igitur, quam non latueris: à Ceco deprehensus es. Vale vir prestantissime, et quem amorem non tu primus suscepisti, sed primus aperuisti, sic tuere, ut tamen scias, me secundum dici non posse. 5. Cal. Febr. 1603.

JO. MATTHÆO SAVIO  
TOLENTINATI.

MULTI sunt dies, aut menses potius, cum mihi Io. Baptista Laurus tuam legit elegantissimam Elegiam: de qua quid sentiam, non potui majus aut certius testimonium dare, quam per eundem



eundem Laurum tibi dedi, cupere me (quod permissu & voluntate fiat tua) illam edere cum meis, imò ante meas. Fateor tamen, bina terna paria versiculorum, subobscura mihi videri: quod fero in tam multis. Unum me acrius affecit, inter audiendum, quod statim Lauro indicavi, & jussi tecum communicare meis verbis, super versiculo 31.

Tu potis, Odrysiæ ductor fortissime Lunæ

Cornua, fulminea conteruisse face.

Dixi, suboffendi aures meas ab infinito, Conteruisse: Nam contero habet contrivi, contrivero, contrivisse; non conterui, conteruero, conteruisse: suspicari autem me, aliquem de veteribus, notum tibi, non notum mihi, etiam isto modo esse locutum: cujus si produceres testimonium fore mihi non mediocriter gratum. Egit hac de re tecum Laurus iterum atq; iterum, mihiq; postea retulit, habere te duo exempla, duorum maxime illustrium poetarum, Ovidii & Tibulli. Sed nos Tibullianum diligenter quaesitum, in nostris codicibus nusquam invenimus: Ovidianum hoc erat in opusculo de Medicamine faciei.

Hæc ubi contereris per densa foramina cerne:

Pulvis ab infuso melle premendus erit.

Qui quidē locus, valde vereor, ut sanus sit: certe Aldus Manutius pro agro habuit; & conatus ei facere medicinam, morbo implicat graviore, cum ita curat:

Hæc ubi contriveris, per densa foramina cerne.

Sed



Sed homo Grammaticus, quod suum erat, effecit: sanavit morbo Grammaticali, neq; animadvertit, aut animadvertere voluit, quod earatione versiculus extorto pede, claudicabat, id vero putavit; malum esse poeticum, & a poeta medico resanandum, ut certe brevi post intervallo, resanavit Andreas Nauggerius, pede reducto, non invita Grammatica, hoc pacto:

Hæc ubi contrieris &c.

Bonum (ut ego arbitror) medicum, qui luxatum initio membrum, & ab aliis alio versus flexum atq; reflexum, apte concinneq; in suum restituit locum. Enimvero tamen quocunq; modo versus legatur, tuum ex eo infinitum deduci non potest: nam, a conterero, indicativus est, conteri, infinitivus, conterisse: a contrivero sive contriero, contrivi & contrii, contrivisse & contriisse, non conteruisse. Reliquum est subsidium in Tibullo: magnum testem, si testis est, & Ovidii dissimilis: ejus ego testimonium nimisquam cupio audire, sive adversum nos est, sive a nobis: a nobis, inquam, me tecum jungens affectu & effectu, nimis enim stulte faciam, si Savii benevolentiam non expetam, si Savii opinionem non sequar. Vale. Cal. Febr.

Divinavi: cōplicabam epistolam, cum missus à te Tibullus, hos mihi versiculos ad aurem insurravit, ex libro primo, Elegia 4. qui quidem, una opera, te defenderunt, me docuerunt.

Nec



Nec te pœniteat, duro subiisse labori,  
Aut operi infuetas atteruisse manus.

---

FULVIO PAULUCCIO  
ARCHIDIACONO.

Cum heri meum gymnasium tuo conspectu  
illustrandum censuisses, & una cum Cri-  
stolto, auditore quondam meo, auditoribus nunc  
meis aures dare sustinuisses; quaesisti ex me, vo-  
cabulum Liturgia, cujus esset, & qua ratione  
in Latinum transduci oporteret. Respondi, vo-  
cem esse à prisca Græcia, quæ Romã olim trans-  
vecta, Precationem, sive precandi opus significa-  
ret: id me colligere ex conjunctione duarum  
vocum, quarum altera Supplicandi, altera O-  
perandi vim notionemq; haberet. Neq; nunc  
fermè muto: sed vocabuli origine diligentius in-  
vestigata, collatisq; exemplis, ita certius rem  
definio. Liturgia triplicem usum habet, unum  
maximè amplum atque communem, qui nobis  
sonat Functionem, opus, aut ministerium pu-  
blicum; alterum angustiozem, sed magis pro-  
prium, in quo usurpatur à græcis Theologis, in  
jam etiam à latinis, pro Publico Ecclesie mu-  
nere, sive pro eo ministerio, quod Sacerdotes  
ebeunt, circa cultum Dei. Hæc nos, Divina  
officia nuncupamus, parum aptè ad consuetu-  
dinem veterum latinorum: Etrusci paulo me-  
dius, Il servizio della Chiesa. Tertia est Liturgia  
signas



significatio angustissima, & maximè propria, ut  
 capiatur pro mysterio illo sacrosancto, quam nos  
 Missam, & cenam Domini appellamus. Atq;  
 his ante-positis, credo, erit facile animadvertere,  
 in qua trium significationum, ea voce tuus u-  
 tatur Bellarminus. Quem sanè quod ad me mit-  
 tas hoc tempore, nihil est, sum etenim mirabili-  
 ter occupatus: & ad docendi munus ordina-  
 rium, accessit edendi onus extraordinarium.  
 Constantius noster hodie iterum me convenit;  
 longum unà sermonem habuimus, de recta stu-  
 diorum ratione ineunda, & promovenda. Atq;  
 (ut indolè adolescentis odoratus sum) spero fa-  
 cile, si & illi discendi alacritas manserit, & mihi  
 docendi copia non defuerit, talem fore, ut brevi  
 neq; Hondedais, neq; Scottis, neq; aliis disciplina  
 alumnis nostræ, habiturus sit, quid invidcat. Va-  
 le mi Patrone ac meorum. Ex Collegio S. Bern-  
 ardi, postridie idus Januarias. 1603.

---

LEANDRO BOVARINO.

**N**Unquam crederes, Bovarine humanissi-  
 me, quàn non facile inducam animum ad  
 pangendos, & meo sub nomine divulgandos ver-  
 sus: facit hoc primum sterilitas ingenii mei, qui  
 potissimum hoc genere nunquam mihi satisfa-  
 cio; deinde fœcunditas eorum, qui me sunt usi,  
 & hodie utuntur Magistro artium humanio-  
 rum. Leguntur horum multa epigrammata per-  
 venusta,



venusta, & perarguta; quibus haud scio equidem, an Magister aequalia possit dare; certe non potest meliora; & ab eo tamen longe optima expectantur. Quamobrem ego, hisce aliquot annis, unum versiculum non edidi non scripsi, non recitavi de meo cuiquam: si quos alii afferebant ad corrigendum (afferebant autem multi multos) judicabam, limabam, & meliores facere studebam: à tyronibus si qui forte in publicum edendi essent, resingebam etiam, cudebamq; de novo: meum tamen in his nomen affigi, & circumferri ab ullo passus non sum: nec unquam putavi, vel à amicis facere magnum lucrum, qui hac gratis acciperent, vel me magnum dominum, qui amitterem. Magis adeò cavendum mihi esse videbatur, ne quid meo nomine in vulgus ederem, quod cum discipulis meis venire posset in comparationem O meam in docendo felicitatem! adeò res rediit: progressum metuo discipulorum, qui mihi semper in votis fuit. Quorsum ista, inquires? Nimirum ut intelligas, me qualescunq; fecerim de te versiculos, meritum esse, ut de illis ames me non vulgariter; si boni sunt, propter ipsos; si non boni, propter me: qui quidem ut te laudarem, existimationis periculum non recusavi. Vale. Ex Collegio

S. Bernardi, 1603.

Bb

IN



IN ORATIONEM DE GEMMIS,  
à LEANDRO BOVARINO  
habitam.

Q Uas peperit gemmas rerum natura, Leander  
Dum docet, & sermo gemmeus ore fluit:  
Concio, quæ duplici pascit dulcedine mentem,  
Ambigit, hic melius dicat, an illa creet.  
Nec tamen ambiguum est; ex mente, ex æquore,  
Si parit iste suas, si parit illa suas. (gemmas  
Nam quantò æternis cedunt mortalia; tantò  
Ingenium, melius, quam mare, finxit opus.

LAURETO CAMPELLO.  
SPOLETUM.

I N mediis articulorum doloribus, in quos ex-  
traordinaria valetudinis fiducia me conjece-  
rat, excussit risum mihi particula litterarum  
tuarum, quæ his erat concepta verbis: Curate,  
mi Magister, & per hæc Bacchanalia, oculo-  
rum defectionem, oris refectioe compensa. Itaq;  
ceteris rebus valere iussis, præter dolorem, qui me  
jusserat egrotare; institui garrere aliquid ad  
istam vivendi formulam, quæ mihi a te propo-  
nitur, in hæc tempora voluptaria. Scias igitur,  
hand difficile factu fore, quòd mihi suades, ut os  
gaudeat, quòd oculi amisere. Primum enim ita  
æquitas postulat, ut patrimonium visus ad pala-  
tum, pro rata, hereditario jure pertineat; deinde  
ego mea sponte, dulcissimo saporum indici liben-  
ter indulgeo. Quod quidem ut planius intelli-

gas,



gas, accipe, quo modo hac ego soleam comparare,  
ac judicare.

Sensus corporis exteriores, tactus, gustatus,  
visus, auditus, olfactus, veluti quinq; fratres  
sunt, ex uno parente geniti, quibus mens huma-  
na ministris utitur, ad res hominum obeundas:  
non enim per se oculus videt, sed per oculum ani-  
mus: veluti non ascia, neq; serra scammum fa-  
ciunt, sed faber lignarius per asciam per serram,  
per alia cadendi arma. Habent verò singuli sen-  
sus proprias facultates, & quoddam (ut ita di-  
xerim) peculiare patrimonium; retinentq; inter  
se mutuam & planè fraternam caritatem: ideoq;  
cum aliquis egrotat, & aliorum subsidio eget,  
omnes concurrunt, & unusquisq; pro sua ope fra-  
trem levant, atq; adiutant de suo. Laborat au-  
ditus: præsto est subsidium oculorum: manus af-  
ferunt patre aliquid, & corpori noxium: ani-  
mus per olfactum amolitur, & rejicit: languens  
bini, terni, universi, universis medetur os absti-  
nendo, neq; cujusquam, aut frequentius, aut op-  
portunius, aut certius auxilium est in omnes  
partes. Et sanè hic sensus ferè pietatis suæ fru-  
ctum: quoties enim de fratrum numero aliquis  
migrat è vita, & res ejus familiaris, totaq; suppel-  
lex distribuitur inter viventes, maxima & potis-  
sima pars hereditatis ad gustum transit. Atq;  
hinc est quòd caci & surdi majorem voluptatem  
ex edèdo bibendoq; putantur capere, quàm viden-



tes, quam audientes. Mea verò est, hoc adhuc  
 vescendi voluptas major, quam ceterorum caco-  
 rum; quia cum lumine penitus extincto, tactum  
 habeo tenuissimum ac semimortuum: qui qui-  
 dem nec suis opibus frui potest, nec illis, qua sibi  
 obvenerunt ex hereditate, propter defunctum  
 visum. Itaque perquam modico sibi reservato, lar-  
 gius est ori cetera, cum quo solet conjunctius  
 vivere, quam cum reliquis fratribus. Vides igitur,  
 mi Laurete, quantum ex communibus sen-  
 suum copiis, ad meum redeat palatum, quem u-  
 num existimes licet frui dodrante integro, alios  
 quadrante relinquo. Et profecto ego postquam  
 amisi non modo usum videndi, sed spem etiam  
 revidendi; nunquam crederes, neque crederet  
 quisquam de videntibus, quam suaviter, quam  
 jucunde, quam opipare semper cæno, etiam cum  
 cæna non est opipara. Quamobrem soleo ver-  
 bum hoc frequentibus usurpare sermonibus: Ego  
 ex quo non video, Cyrus sum: nunquam accum-  
 bo sine appetitu, nunquam surgo a mensa satur.

Democritum illum, sive Milesium, ut Dio-  
 genes, sive Abderiten, ut alii tradiderunt, putat  
 vulgus (imo etiam homines eruditissimi, cum  
 quibus est M. Tullius) eruisse sibi oculos, ut ar-  
 cana nature feliciter atque commodius introspi-  
 ceret. Id quod ego, quam diu oculis usus sum,  
 nunquam potui mihi persuadere, ut crederem,  
 sed ab sophista quopiam putavi esse confictum:  
 neq,



neq; deerant huic conjectura argumenta prava-  
 lida: postquam autem careo oculis, credo de fa-  
 cto, non credo de causa. Excacavit ergo se sua  
 sponte Democritus. Bene habet, concedimus.  
 Et excacavit, ut esset aptior ad cōtemplandum:  
 hoc verò pernego, & ajo, non minus absurdum  
 debere videri, quam si hoc diceres: Ille sibi pedes  
 abscidit, ut velocius curreret: vel amputavit si-  
 bi brachia, ut longius telum jaceret. Nam quid  
 est aliud, Democritus effodit sibi oculos, ut a-  
 cutius videret? Logi, mi Laurete, oculi adeò  
 non impediunt rerum cœlestium contemplatio-  
 nem, ut etiam maximo adjumento sint ad con-  
 templandum. At nobiles philosophi aliter sen-  
 tiunt. Dicunt illi quidem aliter, ut apparet; sed  
 non sentiunt, ut ego opinor: cur enim nemo se cæ-  
 cum fecit præter Democritum? Cur Diogenes,  
 Plato, Aristoteles, Theophrastus, Plotinus, Plu-  
 tarchus, Seneca, Epictetus, alii deniq; sexcenti,  
 cum in reliquo corporis cultu negligentes forent  
 in tuendis curandisq; oculis fuere præter ceteros  
 accurati? An solus Democritus tanti aestimavit  
 contemplationem secretiorum, ut eam oculorum  
 amissione redemptam cuperet? alii tam caro non  
 emerent veritatem?

Quid ego autem testimonia humana cōqui-  
 ro, cum divina suppeditent? Ille ipse (quem cum  
 omni veneratione, ad hæc humilia, vocandum  
 habeo) ille arcanorum inspector cœlestium, ille



Deo (prope dixerim) a secretis, quid sentiret de usu oculorum, in ratione contemplandi, ex eo liquet, quod ait, Res invisibiles eternasq; a mortalibus, per eas, quae oculis videntur, aut manibus tanguntur, conspici & intelligi solere. Quid ille magnus Heremicola S. Antonius? Hic vero a philosopho interrogatus, Quid ageres in solitudine, & quibus libris ad contemplandam Dei celsitudinem uteretur: Ego unum habeo hunc (dixit, porrecta in gyrum manu) late patentem, & grandem librum, alta montium, ima vallium, immensa camporum, amœna fluminum intermeantium; praeterea statas temporum vices, certos fixosq; siderum cursus, & inordinatos (ut sic dixerim) ordines planetarum; postremo quaecumq; intra hoc caeli terraeq; spatium tango, gusto, video, audio, olfacio. A quibus singulis divinae potentiae, sapientiae, bonitatis admoneor, rapiorq; his itineribus per aërias caeli plagas, ad interiora universi, & magis accendor ad amandum atq; colendum Deum. Vides igitur, Campelle, qua scala in arcem contemplationis evadendum est, ea non nisi oculatis ascensum dari; & qui liber maxime utilis est ad res arcanas intelligendas, eam sine oculis legi non posse.

Sed faciamus, tenebras propter aliquam causam videri utiles, contemplari volentibus: ergo ne opus fuit, effodere sibi oculos? an non satis fuisset claudere, aut velare? Si hoc haud omnino  
vide-



videbatur obscurum, potuisti abderete, Democrite Abderita, in umbrosam nemus, in tenebri-  
cosam cavernam, in puteum illum, quod tu do-  
micilium veritatis appellabas, denique in cubicu-  
lum ipsum tuum, bene foribus oppressulatis, et sti-  
patis obicibus fenestrarum. Sic etenim paulo  
post reversus a Cælo, res mortalium, ut ante a-  
cturus, luce indigens, facile posses, demptis repa-  
gulis, intromittere exclusum diem. Imitarere  
hoc modo aucupes ballistarios, qui non propterea  
privant se altero oculorum, quia sciunt duos im-  
pedimento esse ad collineandum; sed potius in  
ictu dirigendo claudunt, telo jacto recludunt.  
Nota est Barbari Principis inhumanitas, qui  
sagittario collimanti, oculum exui jussit, addi-  
ta causa, ut claudendi molestiam demeret. At  
Democritus, Laurete, qua erat humanitate im-  
butus, non fecisset adversus Anaxagoram, cum  
quo capitales gerebat inimicitias, quod arguitur  
fecisse adversum se, quo non habuit, neque habere  
debuit cariorem. Cur se igitur excecavit infe-  
lix? Constat non fecisse propter contemplatio-  
nem: nunc quare fecerit si modo fecit, videamus.

Si Laertio credimus, tanta fuit in Democri-  
to ubertas ingenii, tantaque doctrina copia, ut vul-  
go pentathlos, id est, quinque certaminum ath-  
leta diceretur: namque naturalia, moralia,  
mathematica, liberales disciplinas, artiumque o-  
mnium peritiã callebat. Hic igitur per acumen



ingenii sui, vidit tria maxima & potissima cōdi-  
 menta, sive ornamenta felicitatis humanae, qua  
 cum omnes mortales expetant, & tota vita nihil  
 querant aliud; pauci tamen, atq; adeo nullus est,  
 qui consequatur. Erexī mirabiliter expectatio-  
 nem tuam, quamprimum scire cupientis, qua-  
 nam illa sint, & quibus modis parari queant:  
 nec tenebo te suspensum amplius. Quid est igi-  
 tur, quod primum omnium expeditur a mortali-  
 bus? Ut diu vivant. Quid secundum? Ut quie-  
 te vivant. Quid tertium? Ut honeste vivant.  
 Haec tria Democritus, jam adeptus sapientiam,  
 liquido vidit, haud alia via sibi posse contingere,  
 nisi cecus fieret: neq; falsus animi est, privavit  
 se oculis, & reliquum vite spacium habuit tran-  
 quillum, honorificum, diuturnum. Quietum  
 sine morbis & curis, cum optima valetudine,  
 & arbitraria munerum administratione, si-  
 ve publicorum, sive privatorum: honorificum,  
 propter visitationes, conventusq; Principum vi-  
 rorum, qui ad eum, tanquam ad Oraculum,  
 ex omnibus mundi partibus confluebant, in  
 quibus etiam magnus ille Hippocrates nume-  
 ratur: deniq; diuturnum, quia ut testatur Her-  
 mippus, vixit annos centum & novem. Quod  
 autem haec Democritus, propter acumen inge-  
 nii, ante viderit, quam oculis uti desisset; liqui-  
 dius constat ex eo, quod accidisse traditur mori-  
 enti. Cum enim animam ageret, & paulo post  
 migra-

migra-



migraturus omninò esset; soror ipsius lamenta-  
 bunda, cœpit conqueri, quod frater interesse vi-  
 vus non poterat sacrificiis Eleusina Dea, quæ  
 post triduum ex more celebranda erant: oportebat  
 namque suscepta pro illo vota persolvere,  
 prius quam excederet è vivis. Tum Democri-  
 tus, Confide soror, inquit, producam facile ani-  
 mam in istum, quem poscis diem. Fuit ergo pa-  
 nes calidos ad se deferri, quasi comesse vellet,  
 & sic venire per Cererem ad Cererem. Ridere  
 qui aderant, & delirio affectum senem misera-  
 ri. Quid enim? jam & tangendi & gustandi  
 sensum perdidit: unam aqua guttulam, si for-  
 te in os inderes, neq; haurire posset, neq; trahere  
 in alimentum, si hauriret: & quisquam crede-  
 ret panem calidum, solidum, crepitantem, ei fo-  
 re usui ad vitam propagandam? Et fuit tamen:  
 non ori, sed naso admovit panes, indeq; recepto  
 odore, animam tenuit fugientem: & die tertio  
 cum litasset, nulla vultus distorsione, modico  
 tantum nisu corporis, & dolore quam minimo,  
 ridens interiit. Vides, quemadmodum scientis-  
 simus vir, necessitate urgente, per nares etiam  
 vesci didicisset. Norat enim ex quinque sensibus,  
 auditum, & olfactum, perire ultimos, & perire  
 admodum divites propter adeptam hereditatem  
 consortium defunctorum: maxime autem vi-  
 gere utroq; sensu homines moribundos, quotidie  
 experimur, de olfactu sæpe, de auditu sæpius. E-



rat igitur consentaneum, ut nares ori suffecta,  
vitalem odorem biberent, & pro sua facultate  
vitam adjuvarent. Sed plura quam opus fuit,  
sive rem cogito, sive te: illa brevibus verbis com-  
prehendi poterat, ad quemcunq; scriberem; ut  
quicquid scriberem, comprehendere breviori-  
bus. Vale.

---

CAROLO GRATIANO  
BURGENSI, AMERIAM.

**A**Mo te, nobilissime adolescens, qui Perusiam cum magna celeritate pertransiens, ad nostamen diverteris, ut me videres: & me non amo, qui cum domi esse nunquam non soleam, discessi maxime illo die, in quo maxime mansum oportuit. Latinus noster mihi tuo nomine uberem salutem nunciavit, in pulitq;, ut remitterem tibi per litteras uberiores: nam ego etsi presto tibi eam fidem, memoriam, observantiam, quam modestia tua, & constantia mea postulat: tamen (libere dicam) absq; Latino esset scripturus non fui, quotidie pigrior, quotidie occupatior, quotidie a talibus officiis alienior, facit mea vel etas, vel calamitas, ut haec mihi licere impunè credā, nec me dedeceat libertas quaedam, aut negligentia cum amicis, praesertim junioribus, praesertim auditoribus olim meis: nec reperi ad hanc diem, qui mihi hoc juris in amicitia non tribuerit, non  
obtin-



obtulerit sua sponte. Volebam plura, sed audi-  
sti de Latino, ad veteres occupationes meas, no-  
vam curam esse additam, habenda concionis in  
funere Jo. Vincentii Hondedæi. Quod onus, per  
hoc triduum, vindicat sibi, quantulum tempo-  
ris à schola superest, & me aliud meditari non  
sinit. Ignosces facile brevitati, quæ tam pio ex-  
cusatur officio. Vale, & Reverendissimum Pa-  
truum, Episcopum Amerinum officiosè ac re-  
verenter saluta meis verbis. Perusia, pridie Cal.  
Mart. 1603.

---

SCIPIO BARNABÆUS

DOMINICO PASSIONÆO, S.

PERUSIAM.

**E**X litteris amicorum, aliquantò antè cogno-  
veram, M. Antonium magistrum nostrum  
esse habiturum Orationem, in exequiis Viri cla-  
rissimi, recens mortui. Et quanquam multa  
me impediabant, quò minus domo egrederer,  
atque iter facerem; decreveram tamen postha-  
bitis rebus omnibus, ad illum audiendum ve-  
nire: cum mihi nunciatur, Patrem illi subito  
ereptum, nec esse scilicet oraturum amplius. Do-  
lui funus duplex, Orationis & Patris: ac putavi,  
me consolationem utriusq; capturum ex tuis lit-  
teris. Biduo post, ecce alius de Bonciario rumor  
increbuit, Patrem amisisse, alium laudasse. Non  
coherent ista, inquam; Deslere suos, consolari  
alienos:



alienos: utrumq; verum esse non potest, alterum potest. Atq; utinam de Oratione verū sit, de orbitate non sit. Cujusmodi tamen sese res habeat, tu amice magne, cuius nunc opera, ut olim mea, Bonciarius utitur, me docebis, & quidem litteris longioribus, siue prospera scripturus es, ad gratulandum; siue etiam non prospera, ad consolandum. Vale. Fulginia. Nonis Martiis. 1603.

DOMINICUS PASSIONÆUS  
SCIPIONI BARNABÆO.

S. D. FULGINIAM.

**I**Naudisse te aliquid scribis, de funebri concione à Bonciario habita, & de illius Parente mortuo: quorum alterum verum esse non credis; alterum nolles. Rogas autem me pro ea familiaritate, qua semper inter nos fuit, & pro ea, qua nunc mihi cum Bonciario est, ut de utraq; re, quicquid sit, faciam te certiolem. Utrumq; verum est, quod proxime audisti: Patrem amisit, alium laudavit: res ita acta est. Duodecimo Cal. Martias migravit è vita Jo. Vincen-  
tius Hondedeus, quanto cum mœrore ac luctu omnium, quis dicere audeat post Bonciarium? ipsa tibi narrabit Oratio, de qua statim edenda cogitant. Et quia homo maximè religiosus, factò antea testamento, mandaverat, ut noctu efferretur sine ulla funeris pompa, indutus sacco, cin-

Æus



Etus fune, nudis pedibus, aperto capite: ita scilicet est factum. Sed biduo post venit Ludovicus: nosti maximum natu filium, qui quadriennium in Collegio fuit, & à Bonciario singularem in modum diligebatur: hic igitur, & cum eo viri honestissimi, de cognatis, de amicis venerunt nocte ad Bonciarium, & summis precibus ab eo contenderunt, ut, peractis ad expiationem anime novendialibus sacrificiis publice hominem laudaret, in sacra Æde Franciscanorum: presentes fore, cum Episcopo, Prolegato, Decemviris, & cetera nobilitate Ascanium, & Casarem Corneos, Magnum Urbis Priorem Aldobrandinum, & Cardinalem Bevilaquam Legatum, qui singuli eum vehementer audire cuperent concionantem. Bonciarius diu repugnare acriter, & causari longam desuetudinem, magnas occupationes, oris habitum minimè conspicendum, & valetudinem semper infirmam, tunc paulo, quam soleret, deteriore. Et profectò ita erat: sub dies enim geniales cum suo articulari morbo conflixerat, & pulso fortiter adversario, etiamnum languebat ex pugna: quò facilius, ut ego arbitror, admotis undiq; precum machinis, ad extremum victus est: si robustiorem invenissent, haud dubie nunquam expugnassent. Cessit ergo fortibus imbecillus, & manum dedit sed ita dedit, ut sponderet, se illo biduo post habitis rebus omnibus, dictaturum Orationem, deinde datu-



rum mihi, ut recitarem. Ego annuere: illi accipere, quod dabatur, & videri scilicet eo esse contenti. Sed paulo post facta iterum impressione, illud etiam ab eo precibus extorserunt; ut diceret, ipsum se si memoria constaret, & valetudo non ingravesceret, habiturum. Quid multa? septiduo, nunquam schola intermissa dictavit, confecit, edidicit. Ego scriptor, ego lector fui, futurus etiam admonitor recitanti. Sed non opus fuit admonitore: tenebat singula excellenter, & si quando herere, aut deficere videbatur, pronuntiabat meliora, quam scripserat.

Sic comparatus, diem expectabat, quem exequiis, & concioni destinaverant, quintum Nonas Martias: cum pridie hujus diei (o rem pariter miseram, pariter importunam) venit nuntius ex Antriato cum litteris à Thobia fratre, quibus ei mors patris non provisa, non expectata, propemodum repentina significatur. Legi ego litteras tremebundus: jam enim ex vultu ejus, qui attulerat, mali aliquid coniecitaveram: sed tam acerbum nuntium haud unquam essem opinatus. Itaque ad casum Patris subito cohorrui, & substiti inter legendum, frustra quoque volui non legisse, quae legeram. Ille immotus stare, velle iterum audire, non lacrymari, non horescere, non dolere. Nos arbitrari praenimio dolore, sicut javulo sauciatum, aut fulmine ictum obtorpuisse; & erat causa. Patrem namque amiserat, senem  
illum



illum quidem, aut ferè senem ( agebat enim annum quintum & sexagesimum ) sed ita validum, ita robustum, ut illa ætas totos adhuc reciperet viginti annos. Pater octogenarius, & eò senior mortem obiit; sic avus, sic proavus: avia seculum implevit: sed præpropere mors habet aliquid commune cum multis, pietas non habet. Patrem suum amabat Bonciarius, non modo ut patrem, a quo scilicet vitam accepisset, neq; tantummodo ut bonum Patrem, ut prudentem, ut indulgentem, cui non obstitit angustia rei familiaris, quò minus filium alta præditum indole, primum optimis Magistris erudiendum traderet, deinde inter Clericos Seminarii ad legendum cretaret, postremo Romam ad Muretum ipse deduceret, & multos menses ei socius foret, cum magno sumptu, incommodo multò majore. Has, inquam, omitto causas lugendi, quas nemo non habet, pius filius in bono patre. Una fuit Boncivio peculiaris & propria, quòd eundem habuit, parentem & filium, magistrum & discipulum. Agebat annum Marioctus ( hoc enim illi nomen fuit ) septimum & quadragesimum; cum, mortua uxore, cogitare cepit, de seculo relinquendo, & de ineunda, si posset, religione Jesuitarum. Impetrabat haud agrè per P. Blondum, quo filius magistro erat usus, & ipse utebatur familiaris: nec deerant alii, qui apud Præfectum Generalem, ei testimonium darent eximia probitatis, summaq;

mag.



*meq̄ prudentia. Sed cum audisset, nunquam fore, ut in illa societate sacerdos fieret: (erat enim admodum rudis, & tantus natu, nihil didicerat aliud, quam legere ac scribere) suspensio habebat animo, incertus quid consilii caperet. Ad extremum re cum filio communicata, serio quaesivit ab eo, putaretne idoneum se, id aetatis ad discendam linguam latinam, & si putaret, quam longi temporis futura res esset? Respondit M. Antonius, confidere se, si cetera omitteret, unis litteris vacaret, & sibi dicto audiens esset; non exituram propinquam hyemem ( & erat aestas in extremo ) quin Grammaticam percurrisset, & latinè scriptos libros, praesertim ecclesiasticos, sua sponte posset interpretari. Exilire gaudio Pater, & statim magno animo, pertinaci labore, incredibili studio rem capessere. Marcus novam Grammaticam ei proponere, brevem, nudam, & aptam seni; quam postea notis auctam atque ornatam edidit, eam dico ipsam, qua nos erudit, eruditq̄, hodie, non exiguam partem, Tuscos, Umbros, Picentes. Pro Cicerone novū ac vetus testamentū; pro Virgilio & Horatio Psalmos ei Davidicos explicabat; pro gestis Romanorū Grecorumq̄, sacras historias; pro inanibus fabulis graves seriasq̄ Christi parabolas memorabat. Quid multis moror? Minore spatio quam speraverat, latinè didicit, sacris ordinibus initiatur, confessionibus audiendis praeficitur, & sacerdo-*

*questo spatio.*



sacerdotio, competitoribus non admissis, augetur.  
 Metuo, ne funebrem laudationem includere vi-  
 dear in epistolam, si pergo exequi, qua patientia  
 pueros puellasq; primis litteris erudiret, qua  
 prudentia in illam aetatis teneritudinem prima  
 germina pietatis insereret, qua liberalitate de re  
 sua familiari, cum sacerdotium esset angustius,  
 crediti sibi gregis inopiam sublevaret; denique  
 quanto studio & caritate omnes ad pietatem cre-  
 bris monitis excitaret, & urgeret exemplo. Ha-  
 bes in parte qualem Patrem, & quale cum eo te-  
 stimonium eruditionis ac pietatis amiserit M.  
 Antonius. Tamen nec doluit intemperanter,  
 nec questus est vehementer: paucis lacrymis ge-  
 mitibusq; luctum finivit. Deinde instuit qua-  
 rere accurratius de morbi genere, progressuq; ad  
 tam celerem mortem? Respondit nuncius con-  
 sentanea iis, qua Thobias excursu longiore per-  
 scripserat: ego redigam ad compendium. Ille, in-  
 quit, à medio Februario, dudum inita quadra-  
 gesima, tantum languorem, tantamq; lassitudi-  
 nem expertus est, ut non ingredi, non stare, non  
 sustinere ipse se posse videretur. Tamē ei persua-  
 deri nunquam potuit, ut se largiore aut meliore  
 cibo reficeret, vel saltem ut quiesceret, lectoq;  
 decumberet: quanquam enim haud dubie pre-  
 senserat, & crebris sermonibus usurpabat, insta-  
 re sibi supremum diem: tamen homo natura va-  
 lidus, & jejnandi certus, neq; laborem, neq; ab-  
 Cc stinen-



stinentiam remittebat, quotidie sacrum facere,  
 confessiones audire, suos hortari, consolari, nihil  
 omittere paterni affectus, & diligentiae. Monen-  
 tibus ut se respiceret, & valetudini parceret de-  
 ficienti, sic respondebat, Quanto minus ad vi-  
 uendum temporis superesset, tanto utilius ac fru-  
 ctuosius impendere oportere. Tertio demum ab-  
 hinc die, qui fuit pridie Cal. Martii, ad perpe-  
 tuum illum languorem, internamq; fatigatio-  
 nem ingens stomachi dolor accessu: quo cum ad  
 multam noctem laborasset, inter cetera precatus  
 est Deum, ne anima decedenti nimium longum,  
 aut nimium difficilem egressum daret: quod im-  
 petrauit. Mane namq; , qui fuit B. Herculano  
 dicatus dies, mensi primus, illi ultimus; cum me-  
 liusculè sibi factum esse sentiret, filio, nuru, nepte,  
 ceteris cōtranitentibus, è lectulo surrexit, & pe-  
 dibus Calliscianū ad suam ecclesiā iter intendit,  
 ubi peracto sacro, & quorundam excepta confes-  
 sione, ad meridiē revertitur domum, & hilarius  
 cœnat cum suis. A cœna contulit se in pagum, Ca-  
 stello proximum, ( Collesandū incolae appellant )  
 & cum Paroco spectate sanctitatis viro pomeri-  
 dianum illud tempus, qua se vero, qua hilari sem-  
 per pio sermone consumpsit. In digressu projectus  
 illi ad pedes, confessionem obiit, ab aliquod retrò  
 annis, longam & accuratam. Quare sub noctem  
 reversus ad penates suos, cum oborta vi frigoris,  
 inhor, esceret, & fessus esset de via; statim lecto  
 se cre-



se credidit, quievitq; suaviter ad secundam noctis horam: mox experrectus, & largo sudore perfusus (monstri simile) dicebat, optimè sibi esse, jubebatq; domesticos ad negotia sua ire, quò quemq; animus ferret: jam sibi nullius operam aut presentiam opus fore. Hoc rectè, quò dicebat se humano presidio nō indigere: illud non rectè, quò valere se crederet, cum maxime agrotabat. Nec fefellit Alcmenam (hac Thobia uxor est) qua quidem deficere illum rata, sacerdotem ex propinquo arcessit, qui Deo migrantem animam commendaret. Sed nondum statas finierat preces, cum felix senior leniter ac placidè, sine ulla membrorum jactatione, tantum altius ducto suspirio, & sanctissima Christi Matre invocata, ut sibi opem ferret, ad cœlum, ut confidimus, evolavit. O verè obitum non dolendum, sed invidendum! quid enim ei defuit, quò optare morientes possint? manè fecerat rem divinam, & se suis manibus Deo conjunxerat; totum diem sacris, aut actionibus aut sermonibus traduxerat; vespere ad peccatorum reliquias abolendas, iterum se cum eo reconciliaverat, etiam postero die sacrum factururus: cum interea sic a Domino rapitur, ut se quodammodo raptum esse ignoraverit. Metuebat longā atq; difficilem mortem: plus adeptus est, quam volebat: mortem ipsam non sensit. Quid ille desiderare aut debuit, aut potuit, cui supra votum mors fuerit?



Reliqua erat M. Antonii deliberatio de habenda vel omittenda Oratione. Cum enim Cardinalis Legatus, cum Magnus Roma Prior, cum Marchio & frater Cornei, cum Magistratus, & reliqua omnis nobilitas, in posterum diem invitati essent; expectatio tantorum Principum defraudanda non videbatur: ex altera verò parte, quis ei non ignosceret, quem domesticus luctus, tam gravis, tam recens, tam repentinus à dicendo revocaret? Quis adeò iniquè cum illo ageret, ut funestatum, squalidum, mœrentemq; iuberet alios consolari? an non satis erat, potuisse in tanto luctu cohibere suas lacrymas, si non etiã abstergeret alienas? Laudatur à Livio Pulvillus, qui, morte filii nunciata, templi nescio cuius dedicationem non intermisit; sed Romano animo, Efferatur, inquit, si mortuus est. Laudatur & Xenophon ob non dissimilem animi magnitudinem, in filii obitu repentino. Sed quantula fuit utriusque constantia, si cum tua, M. Antoni, conferatur? illi namq; ideò tantum laudantur, quia suum casum fortiter tulerunt? tibi verò non satis est fortem fuisse; etiam alios facere fortes debuisti. Tu cum alios consolaris, hoc satis habere soles, si afflicti non lugent, aut moderatius lugent; illud verò non exigis, ut ipsi alios consolentur. Tua est longè durior, iniquiorq; conditio, qui simul necesse habes opprimere dolorem tuum, & levare mœrorem nostrum.

Sed



Sed enim, ut ego arbitror, vulgus hominum infeliciū eò usq<sup>3</sup> deducendus est consolando, dum miseriam leniter ferat: consolatorem vero ipsum non decet eisdem finibus circumscribi: ultra progredi sapientem oportet: parum fortis habebitur, qui cum suo restiterit, dolori cedit alieno. Nos tamen, Scipio, pro certo habuimus, illum siue dolore victum, siue periculo territum, haud amplius esse recitaturum: & videbatur, ut in malis, opportuna occasio deponendi oneris, quod propemodum in vitus susceperat: sed ille inducere animum non poterat, ut frustraretur tam nobilem audientiam, & malebat dolorem differre, quàm fidem. Timebat etiam sermones hominum: dicerent iniqui, aut infantem esse, qui publice dicere non auderet; aut fortem non esse, qui dolori succumberet. Igitur re cum amicis uno & altero communicata, nimis audax, ut mihi quidem videtur, consilium cepit. Nuncium continuo dimittit, serio monitum, ne cui de amicis, aut cognatis, Perusia degentibus, renunciaret: nobis verò imperat, si qui forte rescissent, & consolandi causa venirent, ne admitteremus, aut saltem premoneremus, ut de Patris morte verbum non facerent: M. Antonium nihil adhuc quicquam inaudisse: celatum de industria fuisse à nobis, ut quietiore animo daret operam laudationi: & hoc quidem successit facile. Sed illud per incommode accidit, quod Bon-



ciarius affectum dolore animum ad ediscendam  
 Orationem appellere non poterat; & quia co-  
 mites amicosq; ad se accedentes, non ita comiter  
 atq; hilariter excipiebat, quam consueverat;  
 nescientibus mœstitia causam videbatur timere  
 laudationis eventum; ideoq; perverse, atq; pre-  
 posterè consolabantur, dum ei animos facerent,  
 qui nimis etiam fuerat animosus, & illius timo-  
 rem culpabant, qui peccabat propter audaciam.  
 Deniq; sub horam habendæ Orationis, ad tem-  
 plum vadimus, quod momento repletum est: cõ-  
 venisse putabantur ad duo hominũ millia. Bon-  
 ciarius agrè spatium reperit trãseundi adrepen-  
 diq; in concionem: ego illi pone constitui vel ad-  
 monitor, vel adjutor. Principes ex adversum O-  
 ratori consederant. Dicentem omnes attentissi-  
 mè auscultabant; non tussis, nõ sreatus, non mur-  
 mur ullum, nisi plaudetium exaudiebatur: nul-  
 lum gestum, nulla rei expositio, nulli verborum  
 ambitus intercurrebant, qui nõ excipi videren-  
 tur cum multa significatione approbationis &  
 voluptatis. Quin etiam erga illum misericordia  
 quaedam cõsecuta est inter eos, qui de patris obitu  
 ante cognoverãt: cognoverant autè pleriq; omnes  
 (ut postea compertum est) per Baldellium, ad  
 quem littera illo die venerant ex Antria: etiam  
 Episcopus antè acceperat, dixeratq; non nullis.  
 Jam Illustrissimus Legatus, jam Magnus Prior,  
 & Maggus, & Pius, & planè omnes, ut sit, alio  
 alii



alii renarrante, presenserant: at nemo omnium suspicabatur, hoc scire M. Antonium: celatum illum a suis audiebant, credebantq̄. Itaq̄ infelicem miserebantur Oratorem, qui produisset in publicum ad alios consolandos, cui tanta esset domi materia lacrymarum: nec ideò minus miserum putabāt, quòd ignoraret miseriam suam: quippe paulo post pro gratulatione, quam merito expectaret, benè habita laudatione, reperiturum domi longè majorem, & graviozem lugendi necessitatē: intellecturum suo periculo, quam non idem esset consolari, & benè ferre malam fortunam. Quare cum perorasset, & a tota concione sed maxime a Principibus ingentem plausum tulisset, festinare amici, ne gaudium mœrorēq̄ confunderent, venire eo die ad gratulandum, redituri postridie ad condolendum. Ille verò etiamnum dolore dissimulato, comiter excipere, blandè appellare, ne jocos quidem atq̄ leporibus abstinere, ut amicos suæ cladis ignaros (ita pro certo habebat) purum liquidumq̄ officii sui fructum auferre sineret. Sed enim cum vesperi domum rediissemus; postquam remotis arbitris, in cubiculo secretiore consedimus, dolorem erumpere conantem, frenare amplius non potuit, & non nihillaxare habenas coactus est: modo solitudinem suam, modo egestatem, n. e. do miseriam lamentari: non se ad eum diem agnovisse cecitatem reliquasq̄ arumnas suas:



nunc agnoscere, & fateri se miserum, extincto  
 Patre: illum sibi vicem omnium potuisse imple-  
 re, quo amisso, in miseras coniectus sit sempiter-  
 nas. Interea divulgata res fuerat inter amicos,  
 quam postea nos etiam confirmavimus, M. An-  
 toniū audisse de Patris obitu pridie ante, quam  
 ascenderet in concionem, & coëgisse recentem  
 dolorem tantisper quiescere, dum exolveret fi-  
 dem, quam prius dederat. Venēre igitur postri-  
 die multi & graves viri ad hominem visitan-  
 dum, quarum planè omnium una erat oratio:  
 Non se accedere ad eum consolandi causa, sed  
 gratulandi: tantam enim magnitudinem ani-  
 mi, & fortitudinem, quam in ferenda patris  
 morte ostendisset, non allevatione ulla, sed potius  
 admiratione, laudatione, imitatione dignam vi-  
 deri: eam demum esse veram germanamq; con-  
 solandi alios rationem, quam ipse adhibuisset,  
 factis antè ostendere, quam verbis, fortuitos ca-  
 sus equo animo tolerandos. Sed ego scribendo  
 defessus sum, tu tadio affectus legendo: succur-  
 rat lassitudini mee, ac molestie tuae magnus au-  
 ctor & consolator egregius M. Cicero, qui sic  
 mihi claudet epistolam. Hac mi Scipio, ad te  
 pluribus verbis scripsi, quam soleo, nō otii abun-  
 dantia, sed amoris erga te, quod pro nostra ne-  
 cessitudine à me contenderas, ut tibi aliquid scri-  
 berem, quo minus te pratermisisset hanc Oratio-  
 nem, & hac officia pœniteret. Quod si assecutus  
 sum,



*sum, gaudeo: sin minus, hoc me tamen consola-  
bor, quod posthac cum audieris concionari Ma-  
gistrum nostrum, Perusiam venies, nosq; vides,  
neq; in epistolis relinques meis spem aliquam de-  
lectationis tue. Vale. Perusia, Idibus Mart. 1603.*

D. ZANO B I O B O N A M I C O,  
A F F I N I M E O.

Priori in Monasterio S. Petri.

**I**Nvitavi te, Frater, ad funebrem concionem,  
in qua virum excellentissimum, & vestra So-  
dalitatis patronum maximum, eram laudatu-  
rus. Non accessisti; & ipsam petis laudationem.  
Dubitavi paulisper missurus essem nec ne; licet  
aliis non negaverim: illis enim ideò dedi, quia  
mibi dicenti præssto fuerunt; tibi autem nihil de-  
bere videbar, qui abfuisti. Sed contra ratioci-  
nando: Illud, inquam, est donum, quod gratis  
datur; non quod reddimus, officio provocati:  
quod si minimè opus habent legere, qui audive-  
runt, & tamen legunt: quanto est æquius legere  
illos, quibus audiendi facultas defuit? mitto igitur  
libenti animo, primum tua causa, ut de viro  
egregio cognoscas ea, quæ requiris; deinde mea  
etiam, quia crescit prætermissione officii  
tui, meritum meum. Vale.

Cc 5

Hie-



---

 HIERONYMO MERCURIALI,  
 P I S A S.
 

---

**S**epenumerò mecum egit Comes Philippus  
 Gabriellus, adolescens tibi probatissimus, &  
 auditor mihi carus in paucis, ut ad te, virum  
 nostri aevi longè doctissimum, omnibusq; inge-  
 nuis artibus excultissimum, darem litteras, qui-  
 bus insinuarem me ad amorem tuum. Et sanè  
 homini ambitioso, rem maximè optabilem, ora-  
 tor assiduus facile persuadebat: ceterum repres-  
 si paulisper cupiditatē meam, & expectavi, dum  
 me notus aliquis manu duceret, cecum ad tan-  
 tam lucem. Qui quidem si mihi eligendus fuis-  
 set, unus ex omnibus, non habui, quem cum Bal-  
 thasare Ansideo conferre possem: nemo erat,  
 qui plus vellet mea causa: nemo fortasse, cui tu  
 libentius atq; cupidius indulgeres: ita de me qui-  
 dem habeo exploratum, de te autem & fama  
 nunciat, & litterae testantur. Sed ego (absq; nun-  
 ciis, absque testibus esset ullis) cum scivi Ansi-  
 deum isto esse venturum, pro certo habui fore,  
 quod fuit, ut unice hominem diligeres, habe-  
 resq; in tuis, propter illius raram eruditionem,  
 propter aequè raram modestiam, propter omnia,  
 per quae simillimum tui esses iudicaturus. Ro-  
 go igitur te, Vir optime, ac praestantissime, ut  
 clientem sanè parvum atq; humilem, sed nomi-  
 nis tui, cultorem maximum, ad te ultrò acce-  
 dentem,



dentem, libenter videas; & hanc adeundi licentiam atq; audaciam, amicis tuis, Gabrielio impellenti, & Ansidæo introducenti condones. Vale, & salve ab amico magno, ac vetere: qui eximias virtutes tuas, & melius intelligit, quia in se habet; & libentius predicat, quia te amat, Neapolio noster Episcopus. Perusia, Id. April. 1603.

AD SALLUSTIUM TAURUSIUM,  
MONTIS POLITIANI  
EPISCOPUM.

De Lacu Thrasymeno per Bracchianam  
fossam exhauriendo.

**E**Ximiæ tua prudentia, Reverendissime Antistes Taurusi, quæ omnium prædicatione celebratur, impulit me, ut novam rationem, de Lacu extenuando, tecum maximè communicarem, & subjicerem elegantissimo iudicio tuo sententiam meam. Rursus tua erga me benevolentia, honorificis antea sermonibus significata, deinde iteratis ad me litteris declarata, potuit mihi persuadere, ut id ipsum liberius atque uberius facerem, quàm decere videatur parvitatem meam, adversus amplitudinem tuam. Accedit familiaritas necessitudoq; cum Episcopo, & Patre meo tanta, ut qua illum libertate soleo cõpellare, hanc tibi pro certo habeam displicere nõ posse. Cum ergo, æstate proxima superiore, veetus essem, unà



*cum Guido Sensio, partim curru, partim equo  
 ad Thrasimenum Lacum, quo nunquam ieram,  
 post extremam hanc cladem, sive illius populi,  
 sive meam: volui, ut sum natura curiosior, ini-  
 tia progressusq; undarum intumescentium, &  
 difficultates remediorum omnes cognoscere, a pe-  
 ritissimis & scientissimis incolarum: consului  
 etiam Geometras, & Architectos, huic negotio  
 saepe prepositos: ex quibus aliqui pro lacu exhau-  
 riendo, crumenas exhaurserunt; & polliciti pi-  
 scatoribus ingentes praedas, aurum ipsi, argen-  
 tumq; illorum piscati sunt. Parco exponere fo-  
 dam faciem, habitumq; insularum, & adia-  
 centium castellarum aut pagorum; non quia ce-  
 cus videre ista non potuerim (vidi enim, in vitis  
 oculis, monstrante Sensio) sed potius, quia non in  
 hoc paravi epistolam; & noto nimium morbi  
 genere in conquirendis remediis occupamur.  
 Tun' vero, inquires, ad tollendum ingens ma-  
 lum, in quo leniendo sudarunt, sudantq; ingenia  
 nobilium Magistrorum, putas te idoneum ali-  
 quid reperturum? Non puto hercle amplius:  
 quia reperi. Ausculta paucis, non admodum al-  
 te initio repetito. Olim Lacus Thrasymenus, ut  
 ex veterum monumentis colligitur, & ratio ipsa  
 facilime persuadet, multo latius & longius flue-  
 bat, quam nunc fluit: nam a Septentrione bello  
 Punico secundo, scribit Livius, subiisse ad Cor-  
 tonenses montes, via tantum, eaq; per angusta, in-  
 terce-*



tercedente: à meridie verò, qua solum erat humiliter, necesse fuit excurrere multò ultra in Clusium agrum, donec scilicet flumen lacu ortum, primò per planiciem suis viribus & suo impetu; deinde per planum, natura impellente, ferretur in Claniam: non enim in aliam partem exonerare poterat superfluentem undarum copiam, obsessus undiq; eminentibus ripis, & solo in colles assurgente. Brachius Fortebrachius, seculo proximo superiore, ausus ingens & Herculeum facinus, ad Lacum angustioribus terminis coarctandum, frenandamq; illam tam effusam inundandi licentiam, obstinato labore, montem ab imo per medium transfodit: qui quidem ab ortu Solis, ad infimum situs lacum, patebat in latitudinem passus circiter octingentos, in altitudinem verò cubitos centum & quinquaginta. Hæc fossa (cavam Brachii vulgò appellant) crescentè hyeme lacum, alienis potius quam suis aquis, cum exorberet, atq; à Clanibus in Perusinum agrum derivaret, incredibile est, quantas pareret commoditates. Primum enim undequaq; multa jugera feracis soli detecta sunt, & cultura reddita: Cortonensium ager ab uno latere, Clusiorum ab altero ampliatus, uterq; maximè frumentarius: undarum reliquie in Perusinum reflexa, longo tractu non piscatui solum, sed rotandis in gyrum molis, cum magno emolumento adhibebantur: non immerito, ut quæ à tergo magnam frumenti copiam

copiam



copiam abeundo suppeditassent; eadem fluendo  
 longius, etiam frumenti utendi praberent facul-  
 tatem. Præterea lacus ipse quanto angustior, tan-  
 to & speciosior ad intuentum, & fructuosior ad  
 utendum, & commodior ad exercendum est fa-  
 ctus. Quæ quidem commoda omnia non solum  
 sublata sunt, sed etiam in contrarium versa, ex  
 quo Bracchiana fossa occacata, & propè clausa;  
 Thrasymenus frustra exitum quærens, per ob-  
 stantia viam moliri non potuit: & qui antea  
 cum toto stagnantium undarum pondere per  
 montis viscera ferebatur in subjectam vallem,  
 nunc laborans nimium in angustiis, repellitur, &  
 magno nisu vix tenuem rivum exprimit: ergo in-  
 dignabundus retrò rediens intumescit, & quas o-  
 lim Minerva, Cereri, Baccho terras ad incolen-  
 dum concesserat, per vim repetit, nihil metuent  
 definitam humanis legibus præscriptionem: jamq;  
 adeo crevit furentis Numinis indignatio, ut non  
 solum sata inundarit, hortos diripuerit, villas  
 everterit, & multos mortales pessime acceptos,  
 ex publicis privatisq; possessionibus exturbave-  
 rit; verum etiam intra oppida pedem intulerit,  
 & latè per omnes vias vagatus, horrenda & no-  
 va clade affecerit oppidanos. Quin etiam fractis  
 portarum repagulis, interiora adiuum irrumpens,  
 hostes suos, quos senserat præ formidine in late-  
 bras refugisse, violentus invasit; & corrupta Ce-  
 vere, polluta Pallade, totus fertur in Bacchum,  
 quem



quem supra illas capitali odio persequitur, non dimissurus, nisi fuscum turbatumq; extinxerit, & ad nihilum redegerit.

Hac igitur cum ita se habeant, quanam esse potest ratio placandi, aut cogendi Numinis? Placandi nulla: cogendi, opinor aliqua: sed ea non humanis tentanda viribus: a Deo aliquo subsidium petere oportet, qui fuerit & Thrasymeno, & Nymphis sororibus, & matri Thetidi, & patri Oceano perpetuum inimicus; nō ut Bacchus, qui cum istis sapere redit in gratiam, & pacto fœdere, certis legibus in unum coit. Quis verò est iste, inquires, humidorum Numinum hostis sempiternus? Nempe Vulcanus: is suam nobis operam ultro offert, non solum ut architectus, sed etiam ut faber; & pollicetur, extracturum se in apertum undas, & facturum, morbo iam desperato, certissimā medicinam. Non potes reprehendere curationē, quod instituta non sit per contraria: ignis aquam extrudat, volo. Patet fossa, ut supra diximus, ab uno ad alterum montis latus, qua exuberans lacus hauriebatur: ea nunc per via undis non est, sive quod fornix vetustate collapsus, locis aliquot aditum intercluserit: sive quod per puteos, olim lumini admittendo effossos, temerē quidā lapides & virgulta coniecerint: ut sunt non nulli adeo perditī, & ingenio ita malo pravoq; ut etiam animi causa communi societati damna ingentia, & clades aternas inferant.

Hanc



Hanc verò fossam repurgare, atq; in pristinum usum redigere, propè majoris operis dicunt fore, quam si alia de integro cavaretur. Accedit quòd, si specus fornice vitiato, & terra debiscente completur; idem quotannis exsudandus erit labor, & usura brevissima commoditatis, insano pretio iterum ac saepius redimenda. Quòd verò ego remedium excogitavi, minimè longum est, & minimè sumptuosum, sed facile, certum, stabile ac perpetuo duraturum: quo scienter adhibito, Thrasymenus nò modò ad terminos Brachianos, sed etiam, si velis, ad fines paulò angustior res compelli potest. Fossa & tubo eodem utror, ad excipiendos, condendosq; intimo sinus cados aliquot, nitrati ac sulphurei pulveris plenos: quibus quidem, omni aditu prestruèdo & constipato, ex disciplina eorum, qui cuniculis mania turresq; dejiciunt, oportuno tempore ac loco, ignis admoveatur. Nec est cuiquam dubium de favillis subito erumpentibus, quin continuo ipsum montis cacumen, instar maximi terramotus demoliantur.

Hoc ego meum consilium antè aperui amicis, & uni & alteri; deinde in conventu disserui, & cum peritis harum rerum Mathematicis communicandum curavi. Mibi una erat difficultas, de loco exhauriendo post montis casum: propterea quòd necesse est, molem illam universam, sua sede motam, atq; in altum levatam, recidere



in eundem locum: indeq̄, licet non magno cum labore, certè non nisi magno post tempore, tantum ruinarum, saxorum, glebarum, stirpium extractum iri, ut etiam sedes defutura esse videatur, ad tantam materiam recipiendam. Hoc ego cum mihi met objecissem inter loquendum, multis verbis refellit Sensus, & alii eundem cum eo sensum animi habuere, affirmantes, illud negotium exhauriendi paucorum dierum esse opus, conductis videlicet duobus millibus operarum, ad aggerem uno & eodem tempore exportandum: quem facile esse congerere atq̄ refundere in subjectas valles. E specu, inquiunt, difficillimum est atq̄ longissimum subtrahere materiam, quia nō plus uno aut altero licet uti operario, ad fodiendum, ad extrahendum: in aperto quam libet multi possunt eadem hora negotium administrare, terram resolutam, aut male herentem carris, corribus, aliisq̄ machinamentis amoliendo. Tu velim pro tua sapientia, cum maximo rerum usu conjuncta, diligenter consideres, num quæ major difficultas huic rationi posse obsistere videatur. Nam ceteri à me consulti, unum dicunt maxime arduum & laboriosum censerì in agendis cuniculis, ad moles collesq̄ dejiciendos, viam facere subterraneam: Quæ nos, inquiunt, cura nihil sollicitat: Brachius functus est vicem nostram: hic monticulo trajecto, duplex commodum peperit, unum o-

D d

lim,



sim, ad aquam per montis latera derivandam;  
 alterum nunc, ad montem ipsum cuniculo sub-  
 movendum. Illud magnum atq; illustre bene-  
 ficium fuit, sed minime diuturnum; hoc vero ut  
 æquè magnum, æquè illustre, sic fore speramus æ-  
 ternum. Vale.

---

### PETRO DINO.

**S**CIO, me carpi voculis amicorum, quod Poë-  
 matis dudum editi exemplaria nulli dona-  
 verim, & vanalia dederim omnia Naccarino  
 Bibliopole, qui ea periculo redemit suo. Id cur  
 fecerim, indicabo tibi clarissime atq; doctissime  
 adolescens, ut defendat tua, vel auctoritas, vel  
 humanitas consilium meum. Ac primum me  
 non nihil excusant illud, quod negavi ex a quo o-  
 mnibus, & neminem habui eximium, aut cul-  
 tum magis: oportet enim levius accidere ada-  
 nimos singulorum eam offensam, qua dissipata  
 atq; dispersa sit inter multos: nec se quisquam in  
 eo nimium ladi existimat, quod eadem mensura  
 partitur in plurimos. Accedit secundo loco, quod  
 neq; poteram largiri omnibus, neq; debebam non  
 omnibus: quia illud mea non ferebat paupertas,  
 hoc vero prohibebat urbanitas: licet enim ami-  
 cos habeam alios aliis cariores, quod fateor; ta-  
 men me hoc ferre iudicium grave erat: nec ideo  
 vel præferre, vel postferre aliquos debui, quod  
 explere omnes non possem. Postremo cum ego per  
 hoc



hoc Poematis initium nihil querā aliud, quam  
 doctorum hominum iudicia libera; perventu-  
 rus non fui, quo adspirabam, muneraria ista via.  
 Verum est illud verbum, quod vulgo dici solet,  
 OS unctum non malè dicit: iudex dono, quasi  
 pretio emptus, severitatem iudicii dediscit, & lo-  
 qui omnia docetur ad gratiam. Malui ergo, iu-  
 dex librum meum emeret, quam ego iudicem:  
 sic enim ille suam mihi sententiam non vendet  
 corruptam, sed donabit intactam. Atq; utinam  
 paulo emeret carius, ut pretii magnitudine sub-  
 offensus, paulo etiam severius atq; asperius iudi-  
 caret. Exposui meam rationem verbis fortasse  
 pluribus, quam res tantula dici debuit, presertim  
 apud te, cuius & dignitas graviolem orationem  
 exigebat, & sapientia breviolem. Ignosce, vale,  
 & salve. Ex Collegio Augusto S. Bernardi, s.  
 Cal. Maias, 1603.

---

 ÆMILIANO ÆGIDIO.

**N**on potest mihi quicquam accidere iucun-  
 dius, quam cum aliquid moneor, super edi-  
 tis à me opusculis: nec nimium soleo ponderare,  
 quo quis animo carpat, dūmodo alicuius momē-  
 ti sit, quod carpitur. Meū hoc verbū est, Æmi-  
 liane: Correctorē volo esse eruditum; ut vero et-  
 iam benevolus sit, non postulo. Quae fuit causa,  
 cur homini docto non probanti meam rationem  
 de Reciprocis, aut docendis, aut utendis; licet



non optimè aduersum me animatus videretur, tamen ultro scripserim, & gratias egerim. Nec ego dissimulanter aut dicis causa, sed verò ac serio feci: non enim habiturus fui occasionem comprobandi eam regulam, nisi aliquis reprobasset. Ille verò pudore suffusus, ratione persuasus, auctoritate permotus, (boni Superi) quales mihi remisit litteras, quam humiles, quam summissas, quam in me honorificas! in quibus iterum iterumque confirmat, se pedibus manibusque venire in meam sententiam. Quid ego queram aliud? Paucis verbis, exigua chartula, modico labore, defendi Guarinum filium, paravi amicum, docui multos. Vale.

---

JULIO CASTALDO,

I. V. C.

Quasi non semel ex me, Castalde vir amicissime, cur in tantum mea soleam extenuare, accusando & improbando, ut non legitima & naturalis mater, sed patrua, vel potius noverca videar liberorum meorum. Quare hoc faciam, ausculta paucis. Animadverui hanc esse consuetudinem hominum oppido sagacium, qui obscuris sunt orti natalibus, ut de sua ignobilitate palam loquantur, & se rusticos, se bubulcos, se caprarios, aut talium filios nepotesve appellare non dubitent. Hoc illi non eo consilio faciunt, quia se tales haberi cupiant: minimè gen-

tium:



tium: sed genus quoddam est, infamiae abolenda, per ipsius confessionem infamiae. Cum enim sciant, notiorē vulgo esse suam fortunam, quam ut liquido negare possint; & frustra fore omnem conatum asserenda nobilitatis; se ipsi sponte diffamant, ut alios ab exprobrando deterreant. Sic enim natura comparatum est, ut non objiciamus homini sua vitia, cum ipse sibi objicit; & ultrò excusemus illum, qui se accusat. Tale aliquid si negaverim, mihi etiam fuisse in mente, cum de meis libellis loquerer inclementius; magis fortasse prudenter faciam, & simpliciter candidèq; agere possim videri: sed profectò mentiar. Vidi enim, & video meam imbecillitatem, qua ingenii, qua judicii, qua valetudinis; & detego mea ipse vulnera, ut sic viros eruditos, vel ad curandum adducam, vel ab exulserando deducam. Vale.

---

CÆSARI ALESSIO,

I. V. C.

Quam mihi agrè fuit, quòd non emi à Corradis propinquam Collegio villam, Musis meis vehementer aptam; hoc majorē atq; jucundiorē ex tuis litteris capio voluptatem; in quibus tria offers, mihi semper maximè exoptata, villam tuam ad rusticādum, equum ad discursandum, te ad fruendum. Est enim (quod olim oculis vidi meis) Alessia tua non solūm amcenior,

Dd 3 quam



quam Corradina, sed etiam amplior, algidior,  
 opulentior: nec me longinquitas terret, si equus  
 vehat: Et tu si adsis, non habeo, quid cupiam au-  
 guerem amplius. Amo igitur fortunam meam,  
 cujus culpa factum est, ut illam non emerim;  
 Et magis amo liberalitatem tuam, cujus benefi-  
 cio fit, ut gaudeam non emisse. Fac valeas. Ex  
 Collegio S. Bernardi. Cal. Maii, 1603.

---

ALEXANDRO CORREGIO,  
 ET AUGUSTINO CARRARIÆ,  
 MEDIOLANUM.

**L**icitum est mihi affari duos una epistola, qui-  
 a me duabus epistolis unum petunt, Oden-  
 ad Jo. Petrum Maffium. Cujus unum mit-  
 to exemplum ad duos, aptè congruenterq̄, ut  
 ego existimo, si spectem alia, quæ utrique ve-  
 strum communia sunt, patriam, studia, disci-  
 plinam, ætatem, voluntatem, denique amorem  
 sive parem inter vos duos, sive parem duorum  
 adversum me: qui pariter utrumque amo; Et  
 utriusque in re litteraria parem progressum, ita  
 libenter accipio, quasi par gloria sequatur eos,  
 qui didicerunt, qui docuerunt. Tantum me-  
 minisse vos jubeo, ea me libentius esse auditu-  
 rum, in quibus displiciam, quam in quibus for-  
 tasse placeam eruditus. Male narras de Guarnerio  
 Alexander, amisit vestra, non dicam, Civitas,  
 sed Respublica virum egregium, Et in historia  
 conscri-



conscribenda ( si quod ego rectum fero iudicium  
 in talibus ) cum Bembo etiam, & Naugerio  
 conferendum. Liquet, hoc cœlo vestro datum  
 esse divinitus, non modo ut plurimos, verum et-  
 iam ut optimos gignat historicorum, & poëta-  
 rum. Prætereo Zanchios, Brembatos, Moran-  
 das, alios, qui multis antè annis claruerunt: duos  
 cogito nostri seculi, atq; memoria, sed omnium  
 admiratione dignissimos, P. Maffeu, & Tassium  
 juniorem. Conatus sum laudare utrumq;: sed  
 oppressit me argumenti amplitudo: qua utinam  
 sic excuset angustiam meam, ut non condemnet  
 audaciam. Valet.

---

AD JO. PETRUM MAFFEUM  
 E SOCIETATE JESU,

Scriptorem longè clarissimum,

O D E.

ARGUMENTUM.

D I F F I C I L I U S est, latinè scribere hi-  
 storiam, hac tempestate, quàm olim fuit:  
 difficultas autem est duplex, ab ingenio, à  
 stylo. Ingenium mater Natura senescens,  
 haud ferè gignit, nisi tardum, atq; ignobile;  
 stylum verò usu penitus extinctum, ex solis  
 antiquarum libris petere oportet, longo  
 studio, magnis laboribus. Veteres fuere in  
 utroque feliciores. Primùm enim ingenio

D d 4

præsta-



præstabant, maturo ac florente Matris ævo  
geniti: & ideò libros elucubratunt cujus-  
que generis optimos, nunquam interituros  
sua culpa: deinde lingua, in qua scripserunt,  
fuit illis nativa & propria, quæ nobis est pe-  
regrina. Maffeus igitur, historia tam latinè,  
quàm Etruscè ita conscripta, ut vixisse aureo  
illo seculo videatur; merito est quasi mira-  
culum, inter nostrates historicos, ut Tassius  
inter poëtas.

---

**L** Atinitatis principes, Sallustium,  
Caium, Titum, Cornelium,  
Et quos dedit felicis id ævum viros;  
Qui transdidere posteris,  
Sudata noctes, & dies volumina  
Rerum per Orbem insignium,  
Stupemus, hoc præ seculo. Vis ingenè  
Sublimior in illis fuit,  
Supràq; mortalem modum. Genius sui  
Vivax tabellis incubat,  
Et per dicata Palladi pomaria,  
Exculta Musarum manu,  
Venus decentes inter-errat Gratias.  
Ergo illa, qua secum rapit,  
Trahitq; res mortalium, volucris dies,  
Edax dies, qua tabido  
Arrosa dente cuncta consumens, vorat;  
Non tangit, immortalibus  
Affixa templis decora; sed parcit sacris,  
Et abstinet Cælo manum.  
Post-illa morbo pariter, ac senio gravis  
Fatiscit Orbis in dies;

Et



Et ipsa canis albicans Vxor comis,  
 Vultuq; rugis aspero,  
 Natura languet: ille fons vitæ calor,  
 Et ille cœlestis vigor,  
 Fomesq; semen unde gignendo datur,  
 Et unde, quod vivit, viget;  
 Magis magisq; defluens hebet, perit:  
 Vt parere magnas indoles  
 Effœta Mater ventre vix pigro queat.  
 Quod ignei, quod vividi  
 Fuit; priores occuparunt: posterum  
 Fax, atq; abortus fundimur.  
 Adjunge, nos quod aggravat, priscos levat,  
 Nos extera, illi patria  
 Lingua perenne nomen adsciscunt sibi,  
 Quam proprio pueri Lare,  
 Amatribus cum lacte sugabant suis.  
 Forum deinde, & Curiam,  
 Et iudicum subsellia, palestra loco  
 Habere; nec vultus truces  
 Docentium, non flagra, non minas pati.  
 Tu verò grandis Bergomas,  
 Quem nostra, principem omnis elegantia,  
 Mundi novum miraculum,  
 Ætas tulisse jure gloriabitur,  
 Quam se diu rotaverit  
 Per replicatas orbium Phœbus vices;  
 Cum par veteribus clareas,  
 Verbisq; non nostratibus facta inclyta  
 Regum, Ducumq; expresseris;  
 Lingua sed usus, qua nec illud seculum  
 Latiniolem noverat,  
 Vivens cœlebres inter adscriptus viros,  
 Adusq; Eoam Tethya,

D d 5

Et Oca



Et Occidentis usq; ad ultimum sinum,  
 Fama perennis arduo  
 Ferere curru. Ad posteros idem tamen,  
 Synceriores iudices,  
 Quos invidia non tangat, aut pungat dolor;  
 Vel ante Livium clues,  
 Sic tenue primo flumen ortu prodiens,  
 Vires eundo colligit,  
 Et dives undis semper amplioribus,  
 Donat parentem Nerea.  
 Sic manè cum Sol tollit Oceano caput,  
 Iactantur umbra longius,  
 Frustraq; terrent lucis infirmum jubar,  
 Nigro minantes vertice:  
 Nam victa, ab Axe cum micat medio dies,  
 Ultore pereunt sub pede.  
 Quid quod veteribus pariter adjungis novos?  
 Et condis etrusco stylo,  
 Qua Tassus ipse civis invideat tuus?  
 Appello pracones Dei,  
 Praconio claros tuo, Malachias,  
 Fulgentios, Antonios,  
 Aliosq; queis defensa dat Coelum fides,  
 Et de repulsis hostibus,  
 Donat triumphum sempiternum nobilem.  
 Appello te, Princeps Pater,  
 Dudum recepte numerum in illum Gregori,  
 Te Gregori Mundi arbiter,  
 Reclorq; : cujus ipse res gestas tuba  
 Majore Tuscus pradicat.  
 Vt, quod datum paucissimis quondam liquet  
 (Nunc paucioribus datur)  
 Vt alterutra laude conspicui, vel hac  
 Lingua, vel illa splendeant;  
 Vni duplex hac gloria, & duplex decus,  
 Maffee, contingat tibi.



DE JO. PETRO MAFFEO,  
ET TORQUATO TASSIO  
BERGOMATIBUS.

**L**ivius illustrem Patavi si reddidit urbem,  
Et te clara tuus, Mantua, Virgilius,  
Anteit una duas; talem dedit inclyta Vatem  
Bergomus, & talem Bergomus Historicum

FINIS.



INDEX EORUM, AD QUOS;  
SIVE à QVIBVS MISSÆ  
sunt Epistole.

A

<b>A</b> Gesilao Comestabili	pag. 204
Aldo Mannuccio, Pauli F.	134
Aldus Mannuccius.	137
Alexandro Bontempio.	91.92.94.97
Alexandro Cervino.	331
Alexander Corregius.	173
Alexandro Corregio, & Augustino Carrariae.	422
Alexandro Maggio Prolegato.	239.240.
Aloysio Capponio Abbati.	267
Aloysio Cittadino Canonico S. Petri.	120
Ascanio Corneo Marchioni &c.	377
Augustino Angelello.	163.165.166
Augustino Cufano S. R. E. Cardinali.	175
Emiliano Ægidio.	419
	Bal-



# INDEX.

## B

Balthasari Anfidæo.	123
Balthasar Anfidæus.	125
Bonifacio & Antonio Caëtanis fratribus.	122
Bonifacio Bevilaquæ S. R. E. Card. Legato.	242.245

## C

Cæsari Alessio I. V. C.	421
Cæsari Baronio S. R. E. Cardinali creato.	189
Cæsar Baronius Cardinalis.	192
Cæsari Corneo V. C.	146.147
Cæsari Crispolto Canonico. Acad. Insens.	138.142
Cæsari Oddo.	229
Carolo de Campo.	339
Carolo Emmanuели Pio, Principi Acad. Insens.	246
Carolo Gratiano Burgenfi.	394

## D

Dominico Lorenzino.	254
Dominico Passionæo.	257.260.263
Dominicus Passionæus.	396

## E

Erasmo Paravicino.	253
--------------------	-----

## F

Fabio Pontano.	181.182.183.184
Federico Cavacepio.	292
Flaminio Ancajano.	170
P. Francisco Bencio Societatis Jesu.	43.48.51.53.56. 57.62.65.67.70.73.76.79.83.86.99.107.111.114.
Franciscus Bencius è Societate Jesu.	46.52.54.59. 61.68.69.72.76.80.85.88.98.103.113.118.
Francisco Bracciolino.	325
Francisco Citoræ.	41
Francisco Lancelotto Jureconsulto.	304
Francisco Mariæ Taurusio Cardinali.	330
Francisco de Ubaldis I. V. C.	207
P. Francisco Verierio Societatis Jesu.	108
Fran-	



## I N D E X.

Franciscus Verierius è societate Jesu.	105
Francisco Vicino Canonico.	219
Fulvio Corneo S. R. E. Cardinali.	24
Fulvio & Federico Corneis fratribus.	237
Fulvio Mariottello.	218
Fulvio Paulucio Archidiacono.	383
Fulvio Ursino S. Joannis Lateranensis Canonico.	131.

### G

Garofano de Garofanis I. V. C.	221
Guido Sensio.	134
Gulielmo Sirleto S. R. E. Cardinali.	30

### H

Com. Hieronymo Bigazino I. V. C.	318
Hieronymo, Maximiliano, & Jacobo Fuggeris fratribus.	241
Hieronymo Mercuriali V. C.	410
Hieronymo Signorello Abbati.	349
Hieronymo Tetio.	149. 197
Com. Honorato Vicecomiti.	376
Horatio Cardaneto.	37. 38
Horatius Cardanetus.	35. 39
Horatio Lombardellio.	282
P. Horatio Turfellino Societatis Jesu.	156. 161
Horatius Turfellinus è Societate Jesu.	159. 162

### I

Jacobus Marchetto.	167
Jacobus Mercato Silvestrino.	306
Jacobus Philippo Spadae.	202
Jacobus Sensio I. V. C.	359. 364
Jacobus Vittorio.	367
Com. Joanni Anguissolae.	374
Jo. Antonio Caldoro.	203
Jo. Antonio Guarnerio Canonico.	173
Jo. Baptistae Dionysio Canonico.	74
Jo. Baptistae de Ninis I. V. C.	286
	Jo. Ba-



## I N D E X

Jo. Baptista Mannello.	363
Jo. Baptista Vecchio.	264
Joanni Cargæ.	198
Jo. Mariæ de Monte.	323
Jo. Mattheo Savio Tolentinati.	380
Jo. Paulo Tetio Canonico.	112
P. Jo. Petro Maffeo Societatis Jesu.	188
Josepho Phavorino Doctori Medico.	308
Julio Cæsari Stellæ; Summi Pontificis intimo Cui- biculario.	248
Julio Castaldo I. V. C.	420
Justo Lipsio V. C.	115

### L

Latino Mercoceio, ejusq; auditoribus.	185
Laurentio Parisiolo.	32
Laureto Campello.	386
Leandro Bovarino.	384
Leoni Francuccio.	271
D. Livio Lielmetio.	174. 275
Livio Vitali Orosio.	179
Lucio Baldellio I. V. C.	64
Ludovico Hondedæo I. V. C.	184
Ludovico Scotto I. V. C.	292

### M

Maffeo Barberino, Cam. Apost. Clerico.	290
M. Antonio Maffæ Abbati.	184
M. Antonio Massio Canonico.	168
M. Antonio Mureto.	33
M. Antonius Muretus.	74. 75
M. Antonio Sinesio.	171
Mario Fratri.	128
Marius Bonciarius.	37. 76. 89

### N

Neapolioni Comitolo Epif. Perusino.	151. 154. 155
Nicolao Fierberto Anglo.	335. 338
	Nico.



I N D E X.

Nicolao Silvutio.	305
O	
Octavio Rodulfo.	266
Odoardo Santarello V. C.	199
P	
Paulo Paletto.	201
Petio Dino.	418
Petro Gentili Serafino.	228
Com. Philippo Gabrielio.	333
Philippo Massinio I. V. C.	272
Pompejo de Angelis.	327
Pompejo Arrigonio S. R. E. Card. creato.	192
Pompejo Danzettæ.	89.90
Pompejo Signoruccio.	222. 224
Prospero Podiano.	348
Q	
Quinctilio & Benedicto Barsis Fratribus.	371
R	
Roberto Bellarmino Cardinali.	320
Roberto Titio.	281
Roberto Ubaldino.	208
Robertus Ubaldinus.	214
S	
Sallustio Taurusio Montis Politiani Episcopo.	411
Scipioni Bonannio.	180
Scipioni Barnabæo.	276
Scipio Barnabæus.	395
Seminarium Perusinum.	14
Senso Senfio I. V. C.	311
Sfortiæ Corneo.	255
Silvestro Aldobrandino Priori Urbis &c.	236
D. Simeoni Puraccio.	372
T	
P. Thadæo Augustiniano Perusino Theologo.	
149. 150	Theo.



I N D E X.

Theodoro Ulman Doctori Medico.	234
Tiberio Florentio.	288
Thomæ Mancino.	379

V

P. Valentino Mangionio Societatis Jesu.	316
Valerio Setæ Theologo Servitæ.	169
Vespasiano Crispolto Canonico.	230
Vincenzio Castellano.	226
Vincenzio Palettario.	143.145
Vinciolo de Vinciolis Summi Pontificis intimo Cubiculario.	273

Z

D. Zanobio Bonamico.	409.
----------------------	------

F I N I S.









0







